

17
1. 1.
2. 1.
3. 1.
4.
5. 1.
6. 1.
7. 1.
8. 1.



1733.

1. Becker, Joannes Maurus: De diverso gradu eviden-
tiae et obligationis legum naturalium.
2. Burzmann, Fr. Christianus: De Ubbone Philippi et
Ubbonitis.
3. Burzmann, Christianus: An deus secundum rationem
dominus et lex naturae lex propria et stricte
dicta sit?
4. Carnov, Jacobus: De remediis suspensivis ordi-
nariis in theopoli consultis.
5. Carnov, Jacobus: De diverso hypothecarum jure.
6. Carnov, Jacobus: De repudiis propter errorem
bonorum fortunae.
7. Carnov, Jacobus: De abdicatione liberorum secundum
principia juris Aetis, morem Germanorum et juris
Inbecensis.
8. Moeller, Anton Maurus: De iudicio summario
peregrinorum.

1734.

1. Carmer, Jacobus: De praesentio ordine mortali-
tatis commorientium in linea recta.
2. Carmer, Jacobus: De separatione bonorum in
creditorum concursu ad quinquennium non restricta 5.
3. Carmer, Jacobus: Principia quaedam doctrinae
de dominio 6.
4. Carmer, Jacobus: De intercessione foeminarum
pro capite damnatis 7.
5. Mantzel, Im. Joh. Frid.: De praesentia juris sube-
cussu circa fidem civium augeendam.
6. Mantzel, Imst. Joh. Frid.: De jure Imperatoris Rom.
Germ. circa conferendos honores... 8.

1735.


1. Bazmannus, Joann. Georg.: De donatione, quae fit
ex more.
2. Hering, Melchior Bucerus: De iniunctis iudicii
non impulandis


1735

3. Mantzel, Ernst. Leh. Fis. De concubis
4. Mantzel, Ernst. Tron. Fis. : De actoris communiis officio in concursu creditorum
5. Mantzel, Ern. Leh. Fis. : De nexu hereditari in fidejussione defuncti.
6. Mantzel, Ernestus Leh. Fis. : De juri prudentia salutis civium aeternae rationem habente.
- 7^{te} = Mantzel, Ernst. Leh. Fis. : De eo, quod refertur fendum esse vere antiquum vel novum jure antiqui concessum. 28 Junii. 1735. - 1736.
8. Taddel, Tractatus Fidejussor. : De appellatione ad patrem.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher but appears to contain names and possibly dates or locations.







1622/17

OFFICIAL

ADV

TRANS LEGVM
VITALIVM

STANTE

NE HENRICO
SECRET

T. PROF. P. O. ET AD AEDM
AL ECCLESIASTE

MISS. FRINC. & AGAL

HENRICH
UNIVERSITÄT
ZV HALL



P. 97



Vol. 3 N. 17

Q. D. B. V.
MEDITATIO PHILOSOPHICA,
DE

DIVERSO GRADU
EVIDENTIAE

1733 1.

ET
OBLIGATIONIS LEGVM
NATVRALIVM,

P. 27.

QVAM
DEO FORTVNANTE,
IN ACADEMIA VARNIACA,
HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

D. Octobris A. MDCCXXXIII.

PRAESIDE,

M. IOANNE HENRICO

BECKER,

PHILOS. PRACT. PROF. P. O. ET AD AEDEM
D. NICOLAI ECCLESIASTE.

amicae disquisitioni subiiciet

IOA. GOTTHILFF SPARMANN,

Buchholtza - Megapolitanus,
Phil. & V. I. Cultor.

ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD.

Typographi.

KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄTS-
ZVHALLE

a 30



CELEBERRIMO NOMINI
VIRI PRAENOBILISSIMI, CONSULTISSIMI
ATQVE EXCELLENTISSIMI,
DOMINI
ERNEST. IO. FRIED.
MANTZELII,

PHILOSOPHIAE AC IURIVM DOCTORIS, ET IN-
STITVTIONVM PROFESSORIS P. O. INCLYTI,
MAXIMISQVE MERITIS CONSPICVI,
FACVLTATIS IVRIDICAE DECANI
SPECTATISSIMI,
PATRONI SVI, STVDIORVMQVE PRO-
MOTORIS AETERNVM DEVENERANDI,
PRO EA, QVA TENETVR ANIMI OBSERVANTIA,
IN TESSERAM
HONORIS CVLTVSQVE PERPETVI,
CVM VOTO
PERENNIS EX OMNI PARTE FELICITATIS,
DE MELIORI SE EIDEM COMMENDATVRVS,
HAS PAGINAS INSCRIBIT
CONSECRATVE

RESPONDENS.

CONSPECTVS,
MEDITATIONIS PHILOSOPHICAE,
DE
DIVERSO GRADU EVIDENTIAE & OBLIGATIONIS
LEGVM NATVRALIVM.

SECT. I. THEORETICA.
ARTIC. I.

De diuerso gradu Euiden-
tiaē LL. naturalium.

§. I. Latitudo iuris natura-
lis exponitur.

§. II. Pergitur eandem decla-
rare.

§. III. Docetur, iuris naturae
& rationis præcepta esse
eadem.

§. IV. & V. Monstratur, ea-
dem quidem esse principia
rationis practica; sed le-
ges ex his non fluere aequa-
liter, seu, legum omnium
haur esse aequalem ad ista
respectum.

§. VI. Quid sit euidencia ve-
ritatum rationis practica-
rum, & vnde sit euidencia
gradu diuersa, indicatur.

§. VII. Explicatur gradualis
differentia euidenciaē LL.
naturalium.

§. VIII. Probarur eadem.

§. IX. Ad geminam classē

generatim reducuntur LL.
naturales.

§. X. LL. naturales in abso-
lutas & arbitrarias diui-
duntur.

§. XI. De euidencia illarum
maiore, harum minore in-
dicia suppeditantur.

§. XII. Ad exceptiones, quae
hanc theoriam ferire pos-
sent, breuiter responde-
tur.

ARTIC. II.

De diuerso gradu obliga-
tionis LL. naturalium.

§. I. LL. naturalibus obligan-
di vim inesse, docetur.

§. II. Obligatio quid sit, dis-
quiritur.

§. III. Status quaestionis in
puncto obligationis gradua-
liter differentis, exponitur.

§. IV. Genesis obligationis in
LL. naturalibus inuestiga-
tur.

§. V. E diuersitate promulga-
tionis & euidenciaē, ad di-
uersita-

ueritatem obligationis LL.
naturalium concluditur.

§. VI. Idem deducitur ulterius.

§. VII. Breuis huius argumen-
ti nexus traditur.

§. VIII. Realis aliorum con-
sensus monstratur in distin-
ctione: inter obligationem
perfectam & imperfectam

§. IX. Conceditur, non omnino
nullam esse distinctionem
inter praecepta & consilia
rationis. Virorumque ta-
men esse veram & natura-
lem, gradu licet diuersam,
obligationem; & consilia
randem fieri leges.

SECT. II. PRACTICA.

Breuiem Theoriae applica-
tionem ad materias ma-
trimoniales, sistens.

§. I. Scopus huius sectionis in-
dicatur.

§. II. Quam controuersae sint
quaestiones matrimoniales,
paucis recensetur.

§. III. Status quaestionis ex-
ponitur & thesis, quod
consideratio Polygamiae,
Concubinatus, Diuortii, &
quarundam nuptiarum in-
cestarum, ad I. N. pertine-
at, probatur.

§. IV. Iure naturali prohiberi

polygamiam, ostenditur.

§. V. Consensu doctorum Vi-
rorum roboratur.

§. VI. Concubinatum contra I.
N. esse probatur.

§. VII. Diuortium Iuri nat.
repugnare, euincitur.

§. VIII. Incestum in linea re-
cta consanguinitatis ad-
scendente & descendente,
iure naturali non permitti,
monstratur.

§. IX. Incestum in linea col-
laterali aequali primi gra-
dus, iuri nat. aduersari,
colligitur.

§. X. An ad plures gradus pro-
hibitos ius naturae se ma-
nifesto extendat, dubita-
tur, saltem non asseritur.

§. XI. Materias haecenus tra-
ctatas dubia, & exceptio-
nes admittere, minoreque
euidencia gaudere, haec
dissimulatur.

§. XII. Ideoque ad LL. mi-
nus fundamentales & ar-
bitrarias, quae minori qui-
dem gradu, vere tamen ob-
ligant omnes cognoscendae
veritatis capaces, referun-
tur.

§. XIII. Res tota ad colopho-
nem perducitur.



SECTIO I. THEORETICA.

ARTICVLVS I.

DE DIVERSO GRADV EVIDENTIAE LEGVM NATVRALIVM.

S. I.



Us naturale vastissimi omnino ambitus est, & non solum momentosas hominum actiones dirigit; verum etiam ad minutias saepe actionum humanarum sese extendit. Errant, quotquot hoc completum iuris systema adeo coercent, ut putent, ultra societatis custodiam & civilem tranquillitatem conservandam, per illud adscendi non posse (a) quasi vero in innumeris aliis huc directe non spectantibus, homo sine agendi norma esse queat. Certe, sicut lex moralis reuelata tam in sensu affirmatiuo, quam in sensu negatiuo stupendi ambitus esse deprehenditur, licet sapientia diuina mira verborum ac praeceptorum breuitate illam conceperit, ut Hebraeis dicatur: עזרה הרבנים; ita non minus lus naturae tantam habet latitudinem, quantam homini in tanta constituto arbitrii libertate actionumque varietate, necessari-

A

am

am existimavit sanctissimum numen. Secus dicendum foret, quod perpaucae actiones gentilium iudicii diuini censuram aliquando die pantocritico admitturæ sint. Quas enim actiones lex naturæ dirigere non potuit, illæ, quam alia lex Ethnicis non innotuerit, nec moralitatem imputatiuitatemque ferre, nec in censuram vocari possunt, sed licitæ putandæ sunt; alia enim iudicii non erit norma, quam quæ fuit officiorum actionum que. Non autem solum Christianis persuasum est, verum etiam Ethnicis, quod innumeris, quæ ius naturæ præscribit, officiis homo longe impar sit, crebrisque contra hanc legem peccet actionibus. (b)

- (a) Quales sunt GVILIELMVS GROTIVS in *Enchirid. de Principiis I. N. SAM. PVENDORFFIUS* in præfat. libelli, *de officio hominis & Civ. §. 8. 9.* CHRIST. THOMASIVS, qui in *Iurisprudentia diuina* negat, quod iuris naturalis sint, quæ & societatis custodia per apertam consequentiam deduci non possint, in *Fundamentis autem I. N. & G.* ad ius naturæ proprie nil refert, nisi quod ad regulas iusti perinet; quâ via cum aliis incedit EPHR. GERHARDVS in *Delin. I. N. seu de Principiis Iusti.* ADAM FRID. GLAFEY, qui ultra externam huius vitæ felicitatem non extendit scopum I. N. Vid. eius *Vernunft- und Völkcr-Recht* pag. 167. §. 249. Non iniuste conqueruntur DN. AVTHORES der unshuld. Nachricht: ad annum 1715. p. 1068. varias fluxisse prauas consequentias inde, quod multi ius naturæ in tenore angustissimo tantum conceperint, daß es nur dasjenige sey, was die äußerliche Nothwendigkeit der Menschl. Natur erfordere. Ipsi vero suppeditant certas LL. naturalem classis, de quibus tamen hic specialiter non dicendum. Vid. l. c. pag. 1066. sqq. Kurze, aber wichtige und sehr nöthige Anmerkungen von dem wahren Concept. welchen man sich von dem Recht der Natur machen soll. Placet de coetero, quod CHRIST. WOLFF. VS scribit: in den vernunft. Gedanken von der Menschen Thun und Lassen Cap. I. §. 27. dies ewige Gesetz erstreckt sich auf alle Handlungen der Menschen in allen Fällen: demnach befehlet das Gesetz der Natur in einem jeden vorkommenden Falle, was der Mensch in denen sich ereignenden Umständen thun oder lassen soll. Daher ist es auch das allervollständigste Gesetz, und irren diejenigen gar sehr, welche vorgeben, als wann das Gesetz der Natur viele Handlungen der Menschen unentschieden ließe, die nachdem erst durch Menschliche Gesetze müssen entschieden werden. Das Gesetz der Natur hat alles

alles entſchieden, und iſt an ſich ganz vollſtändig, unerachtet es bis
her noch nicht vollſtändig iſt erkandt worden.

(b) Vnde SENECA Lib. I. de Clement. Cap. 6. Peccauimus inquit,
omnes: alii grauiora, alii leuiora, alii ex deſtinato, alii forte impul-
ſi, aut aliena nequitia ablati: Alii in bonis conſiliis parum fortiter
ſterimus, & innocentiam inuiti ac reuidentes perdidimus. Nec de-
linguimus tantum, ſed vsque ad extremum aſui delinquimus. Cer-
te ſi ius naturae abſ homine Ethnico poſſet perfecte impleri
natura fortior eſſet & plus valeret, quam gratia. Tameſi
quoque varii Ethnici multum in virtutibus praestiterint, plu-
res tamen ſplendidi iuſticiam ſplendide ſunt mentiti, quor-
um gloriam STOICORVM de ſuis καλοῦ ἀγαθοῦ referimus.

§. II.

Peccatur vtrinque, tam ab his, qui Theologiae Moralis
confinia cum limitibus I. N. confundunt, vltra modum hoc
inſtauraturi, quam ab iis, qui quod non ſub primo ſtatim ad-
ſpectu iuris naturae eſſe adparet, temere eiudem iuris eſſe
negant; aliud illi non vindicantes, quam quod neceſſario ab
omnibus cognoscitur velut in ſolis diſco poſitum, aut quod
directe inſluit in felicitatem vel infelicitatem ſocietatis. Ad-
hibita enim mentis acie, & ſub ſedula veritatum practicarum
evolutione innumera deteguntur, principiis practicis compre-
henſa, & ex iis quaſi per indirectum deducenda. Sicut enim
ratio theoretica latius patet quam ad haec principia eruenda:
Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe. Nihil eſt cauſa ſui ipſius.
Ex nihilo nihil fit, omne quantum eſt extenſum &c. quum ex iſtis a-
xiomatibus generaliffimis, veritates ſingulariffimae innumerae
producantur; ita ratio practica non minus fertilis erit & in
iſis generalioribus axiomatibus tanto copioſiores ſuppedietabit
veritates ſpecialiffimas morales, quanto magis ad felicitatem
hominis facit practica, quam theoretica rationis facultas. Illi-
us enim haec inſtrumentum duntaxat eſſe, eique miniſtrare
videtur, ceu ex fine, ad quem homo creatus eſt, nullo nego-
tjo commonſtrari poſſet.

§. III.

Noſtro itaque conceptu omne illud, quod ad lancem ra-
tionis rectae, ſibi quae reſiſtiae expendi & moralem ſui confi-
dera-

derationem admittere potest, vt ratio ad inquirendam eius moralitatem fundamenta suppeditet (antecedenter quidem se habens (c)) siue aperte praeicipiendo aut vetando, siue è meliori & tutiori in officiis (d) suadendo aut dissuadendo; vt actio vel certa vel saltem probabiliore conscientia instituatutur aut omittatur, ad hemisphaerium & peripheriam iuris naturae suo modo reduci ac pertinere censendum est. Nec videmus, quo fundamento obligatio agendi ad ius naturae, & obligatio agendi ad dictamen rationis separari, aut ius naturae & dictamen rationis aliud atque aliud esse, putari queat. Ius enim naturale quid est, nisi complexus statutorum rationis practicae, obligatio ad officia quid est, nisi moralis necessitas agendi rationaliter. Vnde, quam late patent praecepta rationis, tam late patebunt etiam praecepta I. N. Si secus existimes, statuas oportet, quod homo habeat bina, ad quae vitam instituat principia: *rationem* nimirum, & *ius naturale*. Hoc pacto verendum, ne tota I. N. compages cum omni sua obligatione pessum eat, &, ad quaestionem: an detur ius naturae? & vnde de illo constet, difficilis sit responsio. Certe, non inepte principium I. N. constituetur hoc axioma: *Rectae rationi convenienter est viuendum!* Nisi id desideretur, quod ista propositio nimis laxa sit, vt per speciales conceptus exprimi opus habeat, qui non solum veri sint, & adaequati, sed etiam evidentes. Caeteroquin, quando IO. GEORG. WALCHIVS in *Lexico suo Philosoph.* (e) scribit: *Es ist nicht accurat geredt, wenn man sagt: wer nach der gefunden Vernunft lebt, der lebe nach dem Gesetz der Natur, ibidemque postea pergit: Es sey denn, daß man von dem Unterscheid zwischen dem Gesetz und dem Recht nichts wissen wolle, videtur in ea esse sententia, quod I. N. solum praecipiat, & non nisi circa evidentissima officia versetur, ratio autem consilia subministrat, quae prudentia sequi debeat in rebus non adeo evidentibus, aut libertati nostrae relictis. Nostra autem opinioe hoc pacto partim recta ratio & I. N. sine necessitate separantur (f) partim huic nimis arcti ponuntur limites. Si enim homo rationalis vere tenetur, etiam rationis consilia sequi, si illi ci-*

tra

tra culpam non integrum est, suafum rationis contemnere & contra id agere, quod vt tutius & probabilius, melius in officio cognofcit; confequitur, iuris quid, & obligationis illi quoad rectum rationis vsum incumbere, quod ipfum quid aliud est, quam illud *ius*, quod dicimus *naturale*. (g)

(c) *Antecedenter*, confequenter enim & adhibita in subsidium Theologia morali, cum illa nihil doceat rationi contrarium, mirum non est, illam cum ratione non solum eleganter conciliari, verum etiam iuris naturalis placita declarare, roborare, extendere, vt ita de illis, circa quae ratio dubitat aut fluctuat, luculentius confutare poffit.

(d) Vid. CHRIST. WOLFFIVM I. c. cap. I. §. 10. Vbi probat, naturam nos obligare vt praeferamus bono melius.

(e) Sub tit. *Geseß der Natur*, pag. 1262 sub finem.

(f) Ecquis enim ignorat, quod non solum facultas animae nostrae, qua cognofcit, iudicat, concludit, fed etiam ipfum sanarum conclusionum & axiomatum systema dicatur: *ratio*? Vnde, licet quoque PVFENDORFFIVS J. N. & G. *Lib. II. cap. 3 §. 20.* dicat: *Neque enim ratio, proprie loquendo, est ipsa lex naturae, sed medium, quo rite usurpato, illa cognofcitur.* Ibidem tamen p. 221 pro se excitat PLVTARCHVM dicentem: *Idem est, Deum sequi & parere rationi!* CICERONEM qui ait: *Est vera lex recta ratio, naturae congruens!* pag. 201 DIONEM CHRYSOSTOMVM, qui dicit: *Mentem habens, scies ex te met ipso, quid tibi faciendum sit & quomodo!* Quin ipse Auctor modo dictus pag. 203. *Igitur, inquit, hoc sensu lex naturalis nobis dictamen rectae rationis offeritur.* &c. conf. Definitionem GROTHII de iure naturali. I. B. & P. *Lib. I. cap. I. §. 10.*

(g) An ergo dicas: *ius naturae*, an *ius rationis*, das *Wernunft-Recht*, ceu opus suum inscribit DN. GLAFEY, sane idem est. Sicut enim omnia dictamina practica revelationis sunt Theologiae morali, ita omnia dictamina practica rationis sunt iuris naturalis.

§. IV.

Fatentur omnes, quod LL. naturalium cognoscendi principium vltimum aliud non sit, quam recta ratio (h) quatenus illa non negligitur, aut supplantatur. Principia inde rationis practica recte dicuntur principia I. N. Et promulgatio LL. naturalium realiter fit per dictamen rationis, quae docet, naturae



turæ conuenienter esse viuendum, quæ monstrat influxum actionum in felicitatem vel infelicitatem naturæ, quæ tandem per actum conscientiaë hominem obligat ad id, quod felicitatem suam promouet, faciendum, omittendum contra, quod felicitatem suam aut plane tollit, aut tantum minuit. Quandoquidem vero non omnes actiones aequaliter & eodem gradu influunt in felicitatem vel infelicitatem hominis, sed aliae magis, aliae minus, aliae apertius, aliae magis tectè & per indirectum; hinc ratio nec aequaliter de iis præcipit aut vetat, nec conscientia de illis aequaliter iudicat & sentit, nec eandem habent ad principia I. N. Seu rationis practica relationem.

(h) Quidquid enim in I. N. principii loco ponas, superius tamen principium semper habebis ipsam rationem. Si dicis: *Naturæ conuenienter est viuendum!* & quaeritur; an hæc actio naturæ conueniens sit? ad rationem erit confugiendum, quæ finem statumque naturæ cum actione componens, & quid ex actione per se sequatur, perpendens, quid naturæ conducat, quid obstit, disquirat. Si dicis, pro triplici officiorum obiecto, triplex esse principium: *Deum cole, Te ipsum conserva, Proximum dilige seu socialitatem serua!* ratio superior est, quæ inquit ingenuum & falsum numinis cultum, in verum & adulterinum se conseruandi modum, in illa quæ societati conducunt verè & apparenter. Si dicis, *id esse agendum, quod statum tuum perfectiorem reddat, id esse omittendum, quod deteriorum illum reddat* (quod Cl. WOLFFII principium certe meretur, vt inter omnia principia I. N. monadica adtendatur, modo recte intelligatur, quid WOLFFIUS dicat perfectionem status nostri. Non enim quoduis emolumentum, idque parziale aut appars innuit, sed sicut perfectio illi est consensus in varietate, ita vult, id esse agendum quod consensum habet cum scopo naturæ nostræ, & cum statu nostro interno & externo, præsentî, præterito & futuro, id vero esse o mittendum quod scopum naturæ & status nostri consensum seu harmoniam turbat. Legatur ipse in den vernünft. Gedanken vom Thun und Lassen der Menschen, cap. 1. §. 2-5. it. §. 12. 13. &c.) ratio consulenda est, quæ de vera perfectione & imperfectione status nostri, & de influxu actionis in eamque cognoscit, indeque actioni aut necessitatem moralem impositam, aut actionem licitam esse, iudicat. Quidquid ergo de principio I. N. quale sit, & quare sit, statim, illud futurum erit principium. Atqui ratio &c, Ergo &c.

S. V.

S. V.

Quum ergo ad Leges naturales id manifesto requiratur, ut ex principiis practicis rectae rationis sibi relictæ derivari, deduci, inque illa resolui & reduci queant; sequitur (1) legem naturæ non esse, quæ hoc criterium non admittit (2) legem naturæ esse, quæ istud quacunque ritæ consequentiæ viâ, admittit. Quidquid enim ad isthæc principia redaci & ex iis deduci omnino nequit (i) definit esse rationis & naturæ sibi relictæ impervium erit existimandum. Quidquid autem ad isthæc principia referri sponte potest, id rationi non impervium, aut ex ambitu I. N. exclusum esse putamus. Hoc autem discrimen necessario erit attendendum, quod non omnium eadem sit classis, quia non idem ad principia respectus, eademque evidentia. Hoc discrimen obseruare & rei indoles requirit, & usui suo destitui, doctrinæ potius morum lucis non parum adfundere videtur.

(i) Alia quaestio est facti. Ne prorsus non possit inferri: Hic vel ille istud ignorat, ergo est rationi impervium & è principiis I. N. non fluxit. Potest enim in subiecto mentis hebetudo esse, aut naturalis, aut contraria per friuolam rationis oppressionem, conscientiamque soporatum, per præiudicia falsa, per prædominantes adfectus &c. Hoc pacto nemo inficiabitur, iuris naturæ scrutinium impediri, maximamque LL. naturarum ignorantiam induci posse. Apertum exemplum est in Philosophis STOICIS, qui sicut soli sapere sibi videbantur, ita vere in morum doctrina magnos fecerunt progressus; nihil tamen secius crassissime coequeverunt, *αυτοχρησιαν* licitam esse, propugnantes (de qua pessima actione SENECA passim magnifice scribit, illamque commendat ut optimam, anxiam animam liberandi methodum). licet nefarius talis ausus in I. N. & rationis principalem illam propositionem: *Conseruato ipsius!* incurrat. Miramur certe, doctissimum ANDR. RÜDIGERVM in hoc pollicem premere STOICIS, licet concedat, autochreiam tunc illicitam esse, quando per illam ius societatis laeditur, in *Instit. Philos.* p. 481. Seductus vero est illa opinione, quod non detur obligatio hominis erga se ipsum. Superius item probatur ex hoc, quod adeo multi Christianorum in densissima verentur iuris diu. ignorantia, quamvis quotidie, quid agere debeant, quid non, è verbo DEI doceantur. Testabuntur passim

Pro-

Processus criminales, nefanda bestialitatis & sodomiae aliaque atrocissima scelera à multis per ignorantiam, licet inexcusabilem, commissâ esse. Ergo ab actuali legis ignorantia ad negationem promulgatae legis, falsissima esset illatio.

§. VI.

Ut mentem nostram pressius declaremns, fundamenti loco ponimus, quod veritas quaedam rationis tunc dicatur evidens esse, quando aut ipsa principium est, & demonstratione nulla eget, nec ad superius principium datur progressus; aut quando per necessariam & genuinam consequentiam conclusio nemque ex aliquo vero principio elicitur. (k) Quando itaque evidentiâ praedicatur de quadam veritate morali naturali, tunc aut ipsa sit oportet principium quoddam rationis practicum, aut ex illo per validam consequentiam deducatur. Veritates naturales practicae speciales, quae, ob accedentem illis obligationem (de qua infra) nobis dicuntur leges naturales, evidentes sunt, quando è principiis suis possunt, ut tales demonstrari & cognosci (l). Iam extra dubitationem constitutum est, quod quaedam conclusiones veritatum è suis principiis fiant immediatè, quaedam autem mediantibus aliis conclusionibus, se generalioribus, item, quod quaedam veritates per unicam consequentiam, quaedam autem per subordinatas consequentias, pluresque medios terminos è principio eodem deduci debeant, aliquando vero ex analogia quadam principiorum rationis tantum colligantur. Cum igitur aliae veritates practicae breviorè & faciliore processu, aliae autem longiorè & difficiliore inuestigentur; dubitandum non est, quin dispar sit proportio veritatum rationis practicarum seu legum naturalium ad sua principia. Si dispar est illorum ad sua principia proportio, dispar quoque est evidentiâe gradus. Per consequens, cum LL. naturales sint veritates rationis practicae, non omnes sunt aequè evidentes, sed aliae aliis evidetiores.

(k) MICRAELIUS Lex. Philos. Evidentiâ, inquit, est rei claritas & perspicuitas, est intelligentiâe, per principiorum cognitionem, vel illationis, per discursuum syllogisticum. Et doctiss. DN. WALCHIVS Lex. Philos. voc. Gewissheit, scribit: Gewissheit in Hinsicht der Erkântniß bedeutet diejenige Beschaffenheit derselben, daß bey derselben

selben das Gemüht vöfftig von der Wahrheit überzengt ist, und nicht den geringsten Zweifel hat.

- (1) Haec evidentia cuiusdam veritatis non tollitur eo, quod non omnes illam adtendant, rationis scrutinium negligentis. Ratio enim excoli debet, & exacti, quum ad rationis culturam, & veritatis scrutinium cuius homini magna incumbat obligatio. Vid. PHIL. FRID. HANE, Prof. Kilon. Disquisit. Philosoph. pract. de iure & obligatione cognoscendi veritatem.

S. VII.

Illä evidentiae inaequalitas sicut est ex inaequali ordine, quo veritas practica proxime aut propinque, aut remotius tangit suum principium, ita comparanda videtur cum punctulis in radio circuli; ista sibi adiacentia ex eodem quidem centro fluunt, sed longius, longiusque tandem extenduntur vsque ad circuli peripheriam; vel componenda est cum inaequali habitu ac relatione partium domus ac imum eius fundamentum. Ita enim aliquando in gradibus suis descendit evidentia, vt quaedam veritas difficulter evidens esse possit pro distantia à suo principio, & oculò quasi armato peruidendus fit eius cum vero principio nexus, ponaturque oporteat tandem naturae, rationisque terminus. Id quod debilitati humanae rationis in statu corruptae naturae adscribendum est. Sicut enim lumen diei ita decrescit, vt è meridiano vespertinum, è vespertino lumine crepusculum, i. e. lumen multa umbra mixtum fiat & luminis tamen semper aliquid remaneat, donec illud, irruentibus paulatim tenebris, plena tandem nocte absorbeatur; ita res proh! comparata est cum lumine seu evidentia rationis gradualis, maiore, minore, aliqua, donec tandem in incertitudinem quandam abeat, mentisque arguat caliginem imbecillitatemque.

S. VIII.

Quod haec non in otioso tantum mentis conceptu, sed in ipsa re & experientia fundata sint, probamus. (1) Quia in quibusdam ad quae obligamur, datur aperta rationis apodixis, in aliis autem probabilitas ex magis aequo, tuto, bono, commodo, conducibili, adeo, vt etiam in rebus libertati nostrae relictis visis, si recte adtendimus, ratione determinemur, quid agendum

B

fit

fit potius. Cuius rei exemplum Doctiss. WOLFFIUS (m) in faciendi testamento exhibet. Vbi ergo ratio praecipit diserte, aut vetat, euidencia rei subest, vbi suadet vel dissuadet, debiliior adparet euidenciae gradus. Rationi autem contradicere, aut contra illam quouis modo agere, est contra ius rationis, i. e. naturae agere, vt supra dictum. (2) Quia conscientia hominis circa actiones se non vno modo habet, circa aliquas habet certitudinem, circa aliquas probabilitatem, circa aliquas dubitat & fluctuat; qua alia ex causa, nisi ex euidencia rei maiore vel minore, vel admodum tenui & dubia. In euidentiibus ponderatione & dubitatione opus non est, vbi autem res & casus obueniunt minus euidentes, vt in conscientiae foro vtrunque suis argumentis disputentur, quaenam praeponderent, disquirendum est. Id quod saepe difficillimo expeditur negotio, frequenter autem ob ineuidenciam rationis in suspensio manet; vbi tutissimum est, superata nondum dubitatione, agere nihil. Largimur autem facile, quod non raro dubitationis causa potius sit radicata in mentis hebetudine, quam in vera rei ineuidencia. Ceterum, si quis putauerit, circa probabilem, dubiam, tutiorem conscientiam ius naturae non versari, nostro iudicio, ille vehementer falleretur, & plerasque actiones humanas omni moralitate exsolueret. (n) (3) Quia non idem est officiorum cum natura rationali, actionumque cum felicitate aut infelicitate hominum nexus. Quaedam enim officia aperte influunt in scopum naturae felicitatemque humanam, contrariae autem actiones aperte illam oppugnare, nisi destrucere deprehenduntur, vt dubium nemini oriri queat, quin, quid legis sit, quidue legi contrarium, sine oppositu formidine pronunciet. Adeo quoque quaedam facinora manifesta sunt, vt quiuis rationalis homo ad illa exhorrescat, licet, qua ratione in naturam, ac rationis principia incurrant, statim determinare non audeat; sunt autem alia officia, quae ita manifestum cum natura & felicitate humana nexum non produunt, sunt quaedam actiones, quae felicitatem humanam non directe oppugnare videntur, attamen, quando iusta lance expenduntur

& curatius examinantur, indirecte conducere aut officere, commodum vel incommodum secum vehere cognoscuntur, vt inde legis quid actionibus aut faciendis aut omittendis imponi, factis intelligatur. (o) Ecquid est, quod magis probet gradualem euidentiae differentiam. (q) Quia non sine causa tantus est eruditorum circa quasdam quaestiones, an iuris naturae sint, an minus, dissensus (p) aliis illas I. N. vendicantibus, aliis illas ex ambitu I. N. excludentibus. Quorum hi negatiuam tuentur, quia euidentiam è natura desiderant, illi autem videntes, rationem non parum in illas quaestiones infundere, licet non a deo insigni euidentiae gradu, adfirmatiuam tenent. Quorum vtrinque contentionibus finis maximam partem sperari posset, si omnibus persuasum esset, quod LL. naturalium non aequalis esse oporteat claritas ac euidentia. Quodcunque enim statuas I. N. principium, aut deprehendes, prorsus inaequalem esse legum specialium ad illud relationem, euidentiamque gradu aliter differre; aut è I. N. è foro conscientiae, quin è foro diuino, omnique moralitate eximas, oportet, pleraque rationis praecepta & interdictiones, & habebis segregatum a iure naturae ius rationis, vtrumque autem vehementer castratum.

(m) *L. c. cap. i. §. 32.*

(n) Non est facile I. N. Doctor, qui materiam de conscientia tutiore, probabili, dubia &c. non tractet in hoc doctrinae genere. Et notissimae sunt regulae, quas simul tradunt, e. g. *Contra conscientiam probabilem non est agendum: Probabilior sententia praeferenda est minus probabili: Tutior item probabili, si haec infirmioribus nititur argumentis! Contra conscientiam dubiam nihil est suscipiendum!* &c. Comp. IO. FRANC. BVDDEVS in *Element. Philos. Pract. P. II. cap. 2. §. 18. 19.* & SAM. PVFENDORFIVS de *I. N. & G. Lib. I. cap. 3. §. 5. 6.* Quando IO. GEORG. WALCHIVS in *Lexic. Philos.* voce; *Certitudo*, maximum probabilitatis gradum vocat: *certitudinem moralem*, aperte inuicit, hominem, vbi certitudo non obtinenda est, ad probabilitatem rationis & conscientiae agere debere.

(o) E. g. Semel & iterum ad ebrietatem vsque bibere, tantum abest, vt multi sibi nocere putent, vt sibi potius persuadeant, conducere id sanitati, per consequens si non bonum, tamen nec malum, sed licitum omnino iudicant. Reuera autem se-

quens inde è vino non solum crapula, sed etiam quae cum temulentia coniuncta esse solet, rationis impeditio. quã ebrius nec verborum, nec actionum nec defectuum suorum sapiens director esse potest, aperte prodit, ebrietatem non licitam, sed malam & illicitam esse. Sunt mille alia, quae statim, vel magnopere nocere non putantur, quae tamen quodammodo nocent, aut nocere poterunt. Quapropter CHRIST. WOLFFVS l. c. passim monet: quod omnes actiones diiudicandae sint ex illo effectu quem post se relinquunt, necessario, comparato nimirum cum statu nostro tam interno quam externo praeterito & futuro, hoc vero cum statu & scopo naturae; requiri autem ad hanc actionum nostrarum diiudicationem maturam: eine Einsicht in den Zusammenhang derer Dinge.

- (p) Quem, ex inevidentia capitum, circa quae istae quaestiones versantur, ortum trahere, tantum non adhibita voce: inevidentiae, non dissimulat DN. BVDDEVS in *Instit. Theol. Moral. P. II. cap. I. notã ad §. 23.* *Homines, inquit, quibus rationis deest usus, aut quibus nulla unquam, aut non sufficiens institutio obfigit, in profunda iuris diuini ignorantia versari posse, non abnuo. Sed de principiis quoque loquimur, non de conclusionibus. Namque in his NB. errare homines etiam doctos posse, vel ipsae eruditorum de variis iuris capitibus controuersiae testantur. Non vero locus esset tot doctorum virorum erroribus in conclusionibus istis, si illarum nexus cum principiis non vllis obuolutus esset dubiis, sed constitutus potius in propatulo, & in insigni gradu euidentiae; iam autem inevidentia errorum facile causa aut occasio existit.*

§. IX.

Explanata sic mente nostra, non absonum putamus, geminam statuere classẽ LL. naturalium & quidem ratione suae euidentiae; alteram *fundamentalium*, alteram *minus fundamentalium*. *Fundamentales* naturae leges dici possunt, quibus cum principiis practicis intercedit proxima aut propinqua cognatio, quarum indubitatus est cum natura rationali nexus, & influxus in felicitatem societatis humanae, quae denique, vti ex his adparet, maximum vel insignem euidentiae gradum admittunt. *Minus fundamentales* naturae leges dici possunt, quarum magis elongata est cognatio cum principiis practicis, remotiorque cum natura nexus, qui non sine omni opera inue-

ligan-

stigandus, quum actiones istis legibus determinatae non adeo aperte influant in felicitatem naturae ac societatis. Pertinent etiam ad hanc classem, quae maximam partem sub ratione tutioris, aequioris, melioris, probabilioris, in officio cognoscuntur. Vnde huius classis leges plerumque minore, & tantum aliqua rationis euidencia gaudent. (q) Quo pacto ad hanc classem etiam *aequum, honestum & decorum naturale*, quod prudentia respicit, referre non dubitamus. (r) quia circa illa recta ratio non solum occupatur, sed etiam ad illa consecranda obligationem utique imponit. Quod qui negauerit, negabit quoque, dari aequum, honestum & decorum, nisi è sola hominum opinione, aut (licet id largiri possemus) non dari obligationem ad actiones cauendos, quae, ex opinione licet omnium, iniquae, iudecorae & turpes habeantur. Quandoquidem vero, qui contra aequum, decorum, & honestum, omnium opinione (ponamus) tale, ageret, risui omnium se exponeret; sequeretur, neminem obligari, vt, quantum in se est, probum, cauillationem suae famae, stultitiaeque notam euitet. Quod, an sanae mentis homo adfirmauerit, meritos dubitamus.

(q) Quando HVGO GROTIUS de I. B. & P. Lib. I. cap. 1. § 10. no. Ad iuris autem, inquit, naturalis intellectum notandum est, quaedam dici huius iuris non proprie, sed vt scholae loqui amant, reductiue - Interdum etiam per abusionem ea, quae ratio honesta, aut oppositis meliora esse indicat, etsi non debita, solent dici iuris naturalis! inde est, quod numero mox praecedente ius naturae non solum omni iuri diuino voluntario opponit, sed legibus quoque naturalibus ibidem *perfectam*, postea fere ab omnibus reiectam, tribuit. Nos existimamus, quod illa, quae ratio indicat honesta, aut aliis meliora, ad peragendum nobis vere praescribantur, nisi dicere velimus, homini naturali praeter legem rationis, aliam adhuc datam esse. Bene ergo iam laudatus DN. WOLFFIUS l. c. cap. 1. § 10. scribit: Die Natur verbindet uns, das Bessere dem Geringern vorzuziehen. Denn das Bessere ist mehr gut, als das andere, und also ein stärkerer Bewegungs Grund. Seine Stärke aber rührt sowohl als seine Verbindung mit den Handlungen der Menschen her von der Natur der Dinge.

B 3

(r) Idem

(r) Idem sentit CHRISTIANVS THOMASIVS in *Fundam. I. N. & G.* vbi haec vtiq; ad ambitum iuris naturae, sibi licet late dicti, passim refert. Constitutum autem sibi habet, de regulis *iusti* agere solum, quibus ius naturae strictè dictum absolui putat. Nec magna interest, si diuidas I. N. in *partem principalem & minus principalem*, modo officia honesti & decori è iure naturali non relegentur. Idem autem Celeb. THOMASIVS, se ista è I. N. non relegare, passim ostendit in *Fundam. I. N. & G. Lib. I. cap. VI. § 36-39.* Vbi fatetur: *quod iustum, honestum & decorum amica conspiratione natura sua unita sint, nec vnum sine reliquis proficere. &c.* dicit: *Haec tria in-vime unita esse, mente solum à sapiente separari. &c. & §. 66. ait: Haec tria non esse subordinanda & collidenda, sed coordinanda. Imo diferte vocat: tres classes iuris naturae.*

§. X.

Non omnium forte palato saperet, si distingueremus inter LL. naturae absolutas, seu per se necessarias, & inter LL. naturae arbitrarías. Distinctionis fundamentum esset in scopo, & principio fiendi LL. naturalium. Absolutae, seu per se necessariae vocari possunt, quibus cum natura & felicitate humana verus & absolutus nexus intercedit, quae etiam immutabilis sunt tenoris obligationisque. Quas si ex essentiali sanctitate DEI fluere cum SCHOLASTICIS dicas, aut si iis quandam *perfectatem* (s) tribuas, nos quidem hoc loco litem tibi non mouebimus. Arbitrarías vocari possunt, quae è sanctissimo ac sapientissimo arbitrio DEI fluunt, intendentes maius commodum & meliorem ordinem societatis humanique generis, praesertim in praesenti statu defectionis, quae igitur cum ipsa natura & essentiali felicitate humana absolutum nexum non produunt, (t) Sed non dissimulamus, etiam nobis non probari distinctionem inter *Leges naturales & positivas vniuersales* (u) quas maximo conamine prius adstruxit III. THOMASIVS, destruxit maiori conamine postea ipse. Pariter non dissimulamus, nobis non satisfacere distinctionem inter *Leges absolutas & hypotheticas naturales*, isto quidem sensu, quo Celeb. BVDDEVS has tradidit. (v) In vtraque enim distinctione quod desideratur ab aliis, notius est, quam vt heic exponi debeat. (x) Hoc tantum addimus, quod

E. L.

LL. absolutarum seu necessariorum in genere maior sit euidencia, arbitrariorum vero oppido minor; cum de iis, quae ad ordinem & commodum societatis humanae faciunt, non adeo liquido constat, quam de iis, quae ab obtinendam vel conseruandam humani generis felicitatem faciunt vt necessaria ad necessarium finem ordinata media, (y)

- (s) Cui hypothesi post SCHOLASTICOS, HVGGO GROTIVS sub-
script. Huic licet id recentiori aevo à multis magno viris
verum fuerit, Celeb. tamen CHRIST. WOLFFIUS in eadem est
sententia, putatque nil impii vel absurdi illi hypothesi inesse,
nec illam patrocinari Atheis. Vid. illum *l.c.* §. 20-22. cap. I.
- (t) Quales leges agnoscere videtur DN WALCHIVS in *Lexic. Philos.*
p. 1232. & in *der Einleitung in die Philosophie Lib. II. cap. 6.*
p. 520. §. 40. & passim, distinguens: unter den Pflichten der Notth-
wendigkeit, und Pflichten der Bequemlichkeit, secutus ANDR;
RÜDIGERVM in *Instit. Erudit* p. 447. &c.
- (u) Cum leges positivae 1) opponantur naturalibus, peculiaremque
promulgationem ad quaeuis individua requirant, 2) & tamen
vniuersalis obligationis esse statuatur, vt earum transgressio
imputetur homini, cui tamen nunquam innotuerunt.
- (v) In *Instit. Theol. Moral. P. II.* passim.
- (x) Quid in LL. positivis vniuersalibus desideretur, THOMASIVS
ipse notavit in *Obseru. Halens. Obseru.* 27. & in *Fundament. I. N.*
& *G. cap. proemiali*, nec minus BYDDEVS *l. paulo ante cit. P. II.*
cap. I. §. II. Quid vero in LL. hypotheticis desideret THOMA-
SIVS, stilo consueto id est, admodum false, declarat *loco mox*
citato, cap. proemiali, pag. 12. 13.
- (y) Vt distinctio inter LL. naturales absolutas & arbitrarías, collata
cum illa de qua diximus § praeced. rectius intelligatur, mo-
nendum est: quod leges absolutae seu necessariae, quae cum natu-
ra & felicitate humana nexum seruant absolutum mutatio-
nique non sunt obnoxia, non in solis fundamentalibus conti-
neantur, sed etiam inter leges minus fundamentales aliquem lo-
cum habeant, item: quod non omnes minus fundamentales statim
sint arbitrariae. Vtriusque enim distinctionis diuersa est ratio,
diuersum fundamentum. Legum absolutarum forma habetur
in nexu cum natura necessario & vero, arbitrariorum autem nul-
lus necessarius sed quasi accidentalis est cum natura nexus, &
forma illarum habetur in procurando & conseruando meliori
ordine commoquoque, quod DEUS pro suo sapientissimo arbi-
trio

trio respicere voluit. Eo ipso autem DEO integrum est, in huius classis legibus aliquando dispensare, quod in illius classis legibus facere non creditur. *Arbitrarie* leges pariter flunt e principis rationis bene inuestigatis, licet enim arbitrarie agat DEUS, nunquam tamen agit contra rationem. Omnis ergo lex fundamentalis est absoluta, non contra, & omnis lex arbitraria est minus fundamentalis, non autem contra.

§. XI.

Leges naturae fundamentales, & absolutae maioris euidetiae suae documentum habent non solum in ipso, quem cum natura seruant, nexu, verum etiam in testificatione conscientiae, quae si contra has leges agimus, renititur (z) & mordet (a) si iuxta illas agimus, tranquillitatem, mentisque aliquam satietatem procurat. Leges autem naturae minus fundamentales, & arbitrariae minoris euidetiae documentum habent in hoc, quod tam aperta conscientiae testificatione non confirmentur. Hae praesertim dubitationibus passim locum relinquunt, actionibus tamen ad amissum rationis bene examinatis, oritur in conscientiae foro (nisi illa sopiatur, aut obdurata sit) *διανοησιμὸς*, seu disceptatio cogitationum (b) argumenta vtrimque ventilando, quae tandem in alterutro rationum superpondio subsistit. Absolutarum speciatim, & arbitrariarum LL, naturalium criterium esse potest, quod harum dispensationis exempla inueniamus in sacris literis, illarum autem non, quia sine illis felicitas humani generis stabiliri & conferuari non queat.

(z) Antequam actio praua committitur, qui renisus cum timore & summo legislatore coniunctus, voluntatem conatur inclinare ad actionem legi conuenientem, abstrahere vero a prauo proposito. Exerit se in hoc conscientiae actu id, quod Philosophis solet dici: *lucta rationis & appetitus sensitiui.*

(a) Conscientiae morsus graphicè exprimit Celeb. WOLFFIUS l. c. cap. 2. §. 109. Quanta sit vis conscientiae, Ethnici dudum agnouerunt. CICERO *pro Milone*, cap. 25. *Magna, inquit, est vis conscientiae, & magna in utramque partem, ut neque timeant qui nil commiserint. & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarunt.* SENECA epist. 98. *Multos, ait, fortuna liberat*
poena

poena, metu veniunt. Quare? quia, infixa nobis rei avertisio est, quam natura damnatur. Ideo nunquam fides a fiducia latendi sit etiam latentibus, quia coarguit illis conscientia, & ipsos sibi offendit. Proprium autem est nocentium trepidare.

(b) Ad quam forte Apostolus respicit Rom. II. 15.

§. XII.

Contra illa, quae hactenus sunt exposita, exciperet forte aliquis: Nimis ista ratione extendi ius naturae, quasdam leges naturales multis fore valde inevidentes vimque legis amissuras esse, confundi cum iure naturali Ethicorum, cum iusto, bono, & decorum, quae re-ctius dicantur consilia rationis, perperam venditari pro legibus, & contradictionem esse: legem statuere minus evidentem, cum lex huius generis per evidentiam rationis, quae eius sit promulgatio, ut lex cognoscatur, & ex eodem fundamento obligandi vim habeat &c. Sed paucis respondemus. (1) Ius naturae non extenditur nimis, quamdiu ultra rectae rationis, sibi relictae terminos non extenditur, vtriusque enim idem est imperium, eademque quam hominibus imponit, obligatio, quod supra confirmatum. (2) Non diffinemur, quasdam leges naturae à multis pro talibus non agnoscere, à nonnullis etiam non posse, ob mentis hebetudinem, inque his vim legum amittere. Sed ideo in se leges esse non desinunt, quia ab aliis, quibus maius obtigit rationis acumen, pro legibus agnoscuntur. (c) Potest res eadem alteri evidens, alteri inevidens esse. Ultra mensuram rationis sibi concessae, nemo tenetur, nec idem ab omnibus Deus requiret. Quidquid alter per lumen rationis cognitu impossibile est, id apud illum legis vim non habet, apud alterum autem habebit, cui, ut id cognoscat, seque obligatum sentiat, non aequè impossibile est. (3) Non confunditur ius naturae cum Ethica, si in docendi methodo suum cuique reservatur. An vero I. N. & Ethica in rei fundamento separatas tractent veritates rationis practicas, id in quaestione est. Ius naturae mater est, Ethica filia, illud officia praescribit, haec exsequenda docet. Ergo quidquid ex ratione officium esse intelligitur, ad I. N. pertinet. Artissimo nexu utraque doctrina cohaeret. (d) Unde non desunt,

desunt, qui morum doctrinam generatim pertractare maluerunt, non habito speciatim discrimine inter disciplinas, separatim tractari consuevas. (e) De coetereo, quo sensu honesti & decori regulas ad I. N. referamus, supra indicauimus. (3) Non renuimus, si quis de legibus & consiliis rationis distinctum sibi velit formare conceptum; modo nobis id concedat, quod etiam consilia rationis eò ipso legis sint, quod obligemur, rectæ rationi in nullo dictamine reniti, sed agere, quod rationi conuenit, *was vernünftig ist*, quocumque euidentiæ gradu id nobis adpareat. Cum enim LL. naturalium promulgatio fiat ope rectæ rationis, recta autem ratio euidentiæ ac certitudinis gradus admittat; promulgatio non eundem semper euidentiæ gradum requirit, sed sufficit, si ad aliquid agendum aut omittendum sufficientes causas suppeditat. Vnde, cum agendi vel omittendi necessitas moralis oriatur, oritur etiam idea legis & obligationis. (f) De quâ clarius mox dicetur.

(c) Vnde PVFENDORFFIUS de I. N. & G. *Lib. II. cap. 3. §. 20. pag. 221.* *Quaquam dicit, ut lex obliget, necessum sit, eam subiectis innotescere, legem autem naturalem e dictamine rationis deducere, eiusque fundamentum, & necessariam cum humana conditione, connexionem intelligere, non sit cuiusuis; Non tamen ideo aut lex naturalis homines obligare desinit, aut eadem e lumine rationis nota dici nequit.*

(d) Quapropter ILL. THOMASIUS, licet *in*to strictè dicto absoluat suum I. N. systema, tamen fateri cogitur, quod solum ab *rationem methodi* (sc. docendi) *ne animus discendi cupidus confundatur, iustam ab honesto & decoro separatur, & quidem mente.* Vid. *Fund. I. N. & G. Lib. I. cap. 6. §. 39.* Conf. ADAM: FRID. GLAFEY *Vernunft- und Böcker-Recht* p. 262. § 62.

(e) Vt fecit CHRIS. WOLFFIUS in *den vernünft. Gedancken von der Menschlichen Thun und Lassen.* IO. CHRISTOPH. BECMANVS in *Lineis doctrinae moralis.* ADAMVS RECHENBERGIUS in *Lineamentis Philosophiæ Ciuilib* &c.

(f) Si obiicitur; Ergo etiam amicorum consilia in vita communi erunt leges! respondetur: Si amicorum consilia officia habent pro obiecto, leges sunt, non ratione personæ, quæ dat consilium, nec ratione actus, sed ratione obiecti, quod in se debet.

debitum est vel illicitum. Si consilium amici consentit cum recta ratione & conscientia, in tantum quoque vere obligat. Quidquid enim ratio & conscientia recta dicitur, illud voluntas summi legislatoris per ista media patet, adeoque lex vera putandum est. Sed inter consilium amici, & consilium seu suam rectae rationis, quanta sit differentia, nemo non intelligit.

ARTICVLVS II.
DE DIVERSO GRADV OBLIGATIONIS
LEGVM NATVRALIVM.

§. I.

Omnium, qui ius & leges naturae non negant, in hoc consensus est, quod dictae leges necessitatem moralem actionibus humanis imponant, & vim habeant obligandi. Cum enim actiones hominis, eò quod is propter arbitrii libertatem actionum suarum auctor, legalisque directionis capax est, imputatiuitatem admittant; lege, imputationis fundamento determinatae sint, oportet. Quidquid autem lege determinatum est, illud libertatem moralem & indifferentiam amittit, vt non amplius sit licitum, sed vel *licitum*, vel *debitum*. Quandoquidem autem declaratio debiti vel illiciti iuste proficiscitur à voluntate & potestate superioris; sit, quod, qui illi subiecti sunt, obligentur, vt ad voluntatem eius se componant. Leges naturales sunt à DEO, summo legislatore, latae in felicitatem & commodum generis humani. Ergo obligationem hominibus inducunt: Quae etiam in ipsa conscientia persenscitur (g) duplicique vinculo hominem constringit, altero, in respectu ad DEVM, se infinite superiorum, altero, in respectu ad sui ipsius felicitatem, vt scilicet istum finem per obseruantiam LL. naturalium, ceu mediolorum necessariorum, obtinere & conseruare, omnem operam nauet. Summum LL. naturalium principium est recta ratio; ergo prima, obligatio est ad viuendum & agendum rationaliter, i. e.

C2

non

non contra aut praeter, sed secundum rationis dictamen, quia hoc cimelio prae aliis animalibus omnibus, homo à summo Creatore non frustra praeditus est. Si ergo licitum putaret homo, contra aut praeter rationem agere, scopum sbae creationis turpiter migraret, & corruerent omnia praecepta I. N.

(g) PVFENDOREFIVS l. c. Lib. II. cap. 3. §. 20. *Accedit inquit, tener admodum conscientiae sensus in animis hominum non corruptorum, quò conuincuntur, in legem naturae peccando, offendi illam, cui in animos hominum imperium est, & qui metuendus sit, etiam ubi ab hominibus metus non impendat.*

§. II.

Obligatio, in quo consistat, & quid sit, non vno modo à iuris, siue ciuilibus, siue naturalibus Doctõribus traditur. Notum est, quod iure romano obligatio sit: *Vinculum iuris, quò necessitate adstringimur alicuius rei saluandae.* Obscuritate autem laboratè haec descriptionem, multi dudum adnotarunt. PVFENDORFFIVS obligationem in genere describit, quod sit illa, *per quam quis praestare aut admittere, vel pati quid, necessitate morali tenetur.* (h) Et alio loco (i) dicit: *esse qualitatem operatiuam, qua quis praestare aut pati quid tenetur.* Speciatim vero obligationem I. N. cum SELDENO, GRO'TIO, aliisque è folius DEI praescripto repetit (k) quod confirmat ZENTGRAFIVS (l) KVLPISVS (m) aliique plures. Ill. THOMASIVS (n) obligationem ita exprimit: *Eine Verbindniß ist eine moralische leibentliche Beschaffenheit, welche der Person durchs Befehl zugesügt wird, und ihre Freyheit einschrecket, demjenigen etwas zu geben oder zu thun, mit welchem sie in einer Gesellschaft lebet.* Secus loquitur postea (o) *Obligatio est in genere inclinatio voluntatis per metum iniectum (& spem suscitaram) a sapiente, i. e. eo, qui potestatem, metum faciendi habet, quique cum prudentia metum iniicit, aut spem excitat.* Distinguit ibidem simul inter obligationem externam & internam quarum haec sit consilii, illa imperii, prior oriatur è metu & spe lucri, & periculi incerti ab arbitrio humano pendens, posterior oriatur è conscientia periculi naturalis. IO. FRANG. BYDDEVS (p) ita habet: *Obligatio est qualitas*

litas moralis passiva, per quam quis praestare vel admittere quid tenetur necessitate morali. Nobis ut maxime adaequata & simplex placet generalis obligationis descriptio saepe laudati DN. WOLFFII, quando ait, (q) Einen verbinden zu etwas, ist nichts anders, als einen Bewegungs-Grund des Willens, oder Nichtwillens damit verknüpfen. (r) Haec idea, sicut ad omnem obligationis speciem apprime quadrat, ut ipse auctor fusius exponit, ita de obligatione legum naturalium dici potest: *Quod sit motuum, seu inclinatio voluntatis ad agendum vel non agendum, desumpta ex ipsa actionum cum natura & statu hominis cohaesione.* Unde dicitur Auctor demonstrat (s) quod natura nos obliget ad faciendum bonum, & malum omittendum. Hic conceptus DEUM legis & obligationis summum authorem non excludit, quod WOLFFIVS discrete docet (t) optimè autem conuenit ipsi conditioni & indoli legum naturalium, quae tales esse, aliunde non cognoscuntur, quam è nexu, quem seruant cum natura. Enim vero de actionibus, an bonae an vero malae, an debitaee, an vero illicitae sint, non iudicatur aliunde, quam ex influxu illarum in statum felicem, aut infelicem, commodum aut incommodum hominis vel vniuersae societatis.

(h) in *I. N. & G. Lib. I. cap. 1. §. 21.* & in *Offic. hominis & Civ. cap. 2. §. 3.*

(i) *I. N. & G. Lib. I. cap. 4. §. 5.*

(k) *ibid. Lib. II. cap. 3. §. 20.*

(l) de *Orig. Verit. & immutab. I. N. Arsic. II. §. 2.*

(m) in *Colleg. Grutiam. Exercit. I. pag. 15. §. 5.*

(n) *Von der Göttl. Rechts-Gelahrtheit. Lib. I. cap. 1. §. 134.*

(o) in *Fundament. I. N. & G. Lib. I. cap. 4. §. 60.*

(p) in *Element. Philos. Praef. P. II. p. 211. §. 5.*

(q) in *den vernünft. Gedanken von der Menschen Thun und Lassen. cap. 1. §. 8.*

(r) Recensetur Philosophia Moralis Celeb. WOLFFII non sine elogio in *Actis erudit. Lips.* latini idiomatis, sub mense Ianuar. 1721, ubi *Dn. Auctores* mentem WOLFFII bene adsecuti, breuem integrae tractationis nexum exhibent, caput autem de obligatione paucis ita recensent: *Obligationem, scribunt, desinit per connexionem motui cum actione, atque differentiam legum à diuersitate obligationum arcessit. Nempe lex naturalis est, quatenus*

us motuum cum actione connectitur ab ipsa rerum natura, lex divina, quatenus motuum naturali contradistinctum cum actione connectitur a DEO; lex denique humana, quatenus motuum cum actione connectitur ab hominibus. Non negat, sed luculenter potius ostendit acutus iste Philosophus, varia esse genera motuorum, quibus voluntas inclinatur, & ad agendum vel non agendum inducitur. Enimvero in obligatione naturali voluntas inclinatur tam auctoritate & iustitia summi legislatoris metuque poenae imminentes, quam adpetitu suae felicitatis, seu illius boni, quod cum actione coniunctum intelligit, aut auersatione suae infelicitatis, seu mali quod cum actione est connexum. Vnde quoque reperiendus naturaliter in conscientia metus a iusta Numinis vindicta, pariter atque verendus malus actionis influxus necessarius in statum hominis clausulae instar poenalis accedit legi naturali. Interim WOLF-EIVS, exponendo motuum voluntatem ad agendum vel non agendum inclinans, principe loco ponit influxum actionis in statum nostrum eiusque perfectionem aut imperfectionem, quia hoc motuum est maxime directum, immediatum naturale & manibus quasi palpandum, insuper modo eruendi LL. naturales maxime consueniens, nec a quodam facile negandum. Licet enim Numinis timor voluntatem facis moueat, tamen ille dumtaxat generale est motuum. Cum autem de singula actione quaeratur, an sit contra, an secundum summi legislatoris voluntatem; oportet, ut speciale sit motuum ad hoc agendum vel non agendum; i. e. nisi in ipso actionis cum natura nexu deprehendatur, quod voluntatem moueat. voluntas legislatoris cognosci non potest. DEVS autem est, qui actionem cum natura sic, & non aliter connectit. Vnde etiam pravae actionis in infelicitatem humanam operatio inter poenas veras, at naturales reputari posse, dictus Philosophus eleganter evincit, l. c. cap. I. §. 30.

(s) In saepe excitata sua doctrina morali, cap. I. §. 9.

(t) *ibidem*. §. 29. 30.

§. III.

Hunc ergo de obligatione LL. naturalium conceptum (u) quem sufficientem putamus ad explicandam non minus actionem, quam passivam, internam quam externam, perfectam, quam imperfectam obligationem, si nobis formauerimus, haud difficile erit probatu, quod non omnium rationis dictaminum, seu legum

legum naturalium idem sit obligationis gradus. Praemone-
mus, quod hoc loco quaestio non tam sit de obligatione *actiua*,
quam potius de *passiua*, non de obligatione ad leges naturales,
quatenus istae in verbo DEI revelato disertius expressae repe-
riuntur, sed quatenus *per solam, sibi que relictam rationem*, actio-
nes cum natura, suisque effectibus componentem, eliciuntur.
Nec loquimur de *occulta*, aut *possibili*, aut *actuali imputatione*
*Est aestimatione actionum humanarum in foro rigidissimae iustitiae divi-
nae* (pro hac enim DEVS amissam iustitiam originalem, &
malum nobis adhaerens haereditarium, ipsosque primos cor-
dis praeus motus hominibus imputare potest, quamvis de iis
omnibus rationi non constet) sed sermo nobis est de *obligatio-
ne illa interna, quae ex rationis dictamine ortum trahit, quamque ho-
mo intus in conscientia (w) sentire, Et inde, quod actiones suae mo-
rali necessitate determinatae, suae autem libertati non relictas sint, agno-
scere potest*: Nisi constitutum habere velit, inconsulta, quin
adeo profligata recta ratione, contra suam, aliorumque felici-
tatem, excusso omni obligationis iugo, subinde grassari.

(u) Fluit vero iste conceptus sponte sua è notatione vocis: *Obligatio*.
Quin enim in sensu grammatico & formali de ligamento
physico intelligatur, verat substratae materiae indoles. Ergo
in sensu tralatitio & figurato accipienda, ut sit *ligatio per vincu-
lum morale*. Vinculum autem morale adficit voluntatem non
per externam violentiam & coactionem, cogi enim ita volun-
tas nequit, uti tritum habet; sed per necessitatem moralem,
quae in persuadendi vi, & rationum pondere consistit, volun-
tatemque inclinat ad velle aut nolle. Quapropter CICERO
L. III de legibus inquit: *Legis est persuadere!* & PVEENDORF-
FIVS l. c. p. 92. 93. fatetur: *quod obligatio sit flexio voluntatis*.
Quod autem voluntatem flexit & moraliter determinat, illud
motivum est ad faciendum vel omittendum.

(w) Vnde, quod lex naturae, etiam dici possit: *lex conscientiae*, de-
ducit saepe laudatus WOLFFIUS l. c. cap. 2. §. 137.

§. IV.

Ad ipsam vero exponendam nostram mentem de dispari
obligationis gradu, in concessis esse putamus, quod quis ad
legem,

legem, quam latam esse, non potest non ignorare (x) omnino non teneatur, cum promulgatio *conditio* legis sit, sine qua non. In legitus autem naturalibus omne punctum fert earum promulgatio, Lex non est naturalis, nec obligationem inducit naturalem, nisi de illa, quod legis rationem habeat, constare possit. Constat autem id è solo actionis debitae vel illicitae influxu in felicitatem vel infelicitatem nostram (y). Cum ergo ex illa cognitione, quod DEVS non frustra nobis concreauerit rectam rationem, sed quod ad eius dictamen in propriam nostram felicitatem viuere nos oporteat, illud oriatur principium: *Conseruanda & promouenda est tuae aliorumque conditionis perfectio, auerenda autem imperfectio, agendum ergo quod ad illam, omittendum quod ad hanc facit* (z), sequitur, quod illa actio, quae felicitatem nostram veram conseruare aut promouere deprehenditur, eo ipso necessitatem moralem adipiscatur, fiatque *officium*, propositio autem, qua indicatur, actionem esse debitam, pro *lege naturali* habeatur, ad cuius obseruantiam obligemur. Pari modo sequitur, quod illa actio, quae felicitatem nostram euertere & in naturam iniuria esse deprehenditur, fiat *illicita*, istaque propositio, qua indicatur, abstinendum esse ab illa actione, pro *lege naturali uogatiua* habeatur, nosque obliget.

- (x) Remouenda hic erit ignorantia *iuris*, & *vincibilis*, quae in respectu ad leges naturales ortum trahit è neglecto, vel superficiali solum usu rationis, ut vel malitia vel oscitantia in culpa sit.
- (y) In LL. *divinis reuelatis*, *ciuilibus* item res aliter se habet, ob promulgationem *verbalem*, ubi, an actio illicita vel debita sit non tam iudicatur è qualitate & effectu actionis in se, quam è verbis, quibus lex est concepta. Quare in istis legibus nec euiden-tiae nec obligationis inaequalitas locum habet.
- (z) Quod alii exprimunt ita: *Naturae conuenienter est viuendum!* Notandum vero est, quod de vera & apparente felicitate nostra, de illo, quod naturae verè & apparenter conducit, iudicium non debeat esse immaturum aut corruptum. Si enim è partiali aut putata solum felicitate falso quis concluderit, id sibi imputet. Sapienter illud monet DN. WOLFFIUS *l. c.* passim, docetque: studium, sapientiam, rationis culturam & expe.i.

experientiam requiri, ne quis frustretur. Non enim adhibita
 fulta circumspectione errores & paralogismi frequentes pos-
 sunt committi, quod pro imbecillitate humana, in huius iuris
 tractatione Viris non mediocriter doctis accidere, experientia
 docet.

§. V.

Hic modus inuestigandi veritates practicas naturales,
medium est cognoscendae promulgationis LL. naturalium. Ipse
 autem nexus actionum & officiorum cum natura seu cum perfe-
 ctione aut imperfectione status nostri, est ipsa *forma promul-*
gationis non verbaliter, sed realiter factae. Iam sequitur: Cuius
 actionis nulla omnino est ad perfectionem vel imperfe-
 ctionem nostram relatio, nullusue cum natura nexus, illa actio
 est naturaliter licita, nec propositio, illi necessitatem moralem
 imponens, pro lege naturali habenda. Sequitur item: Cuius
 actionis est apertus cum natura nexus, & quae aperte influit
 in eius perfectionem felicitatemque, illa actio est naturaliter
debita, & propositio, illi necessitatem moralem imponens, est
lex naturae affirmativa. Cuius autem actionis apertus est nexus
 cum naturae imperfectione ac infelicitate, illa actio est natu-
 raliter *illicita, & propositio, quae omissioni eius necessitatem*
moralem imponit, est lex naturae negativa. Sequitur tandem:
 Cuius actionis est indirecta, obscurior, partialis, aliquis au-
 tem ad felicitatem vel infelicitatem &c. relatio, seu talis cum
 natura nexus, illa actio *per indirectum, obscurius, & non sine sedu-*
la inuestigatione debita vel illicita iudicatur, & propositio, quae
 illi moralem necessitatem imponit, illi duntaxat lex est, qui
 actionis cum natura & statu nostro nexum peruidendi facul-
 tatem possidet; non aequae illi, cuius mentis acies eo pertin-
 gere usque nequit, aut qui è dubitatione eluctare, & in quam
 partem maxima rationis pondera inclinent, item, quid factu
 tutius, melius, consultius sit, adsequi non valet (a). Iam,
 cum obligatio, quae LL. naturalibus inest, sit pondus mouendi
 voluntatem ad agendum vel non agendum; hoc autem pon-
 dus mouendi situm fit in nexu actionis cum natura statuque
 nostro; sequitur, *obligationem LL. naturalium, & earundem pro-*
mulgatio.

mulgationem seu euidenciam non solum assiduam seruare correlationem, sed quoque illam in suis gradibus ab hac in suis gradibus determinari: vt, cuius legis naturalis, dictaminisue rationis magna est euidencia, eius etiam magna sit obligatio, cuius autem debilis minorue est euidencia, eius quoque debilis ac minor sit obligatio naturalis. Fortis voluntatis inclinatio est magna obligatio, debilis voluntatis inclinatio est minor obligatio. Inclinatio voluntatis fortior vel debilior est ex magis minusue apertis & euidentibus ad agendum, vel omittendum rationibus; Cum ergo ad omnes actiones non moueamur aequae praegnantibus euidentibusque rationibus, hinc nec aequali gradu ad omnes actiones, omniaque officia obligamur.

- (a) Non idem ab omnibus requiri, certum est, cum non eodem omnes acumine mentis sint praediti. Qui vero ob mentis hebetudinem, deficientemque in vitae generis ruditate insignem rationis culturam, ad magnum apicem iuris naturalis prudentiae contingere non potuit, ut variae rationis conclusiones illum latuerint, minori etiam obligatione tenebitur. Valebit utique etiam in hoc sensu effatum SERVATORIS nostri Luc. XII. 48. Pro doctoribus animae diuersa olim erit impunitio, & certe negari nequit, hanc meditationem per varias profundissimas veritas se diffundere, quorsum referendum erit iudicium, quod aliquando sustinebunt *infantes, stupidi, mente capsi &c.*

S. VI.

Idem quoque adparet è *relatione & proportione diuersa LL. naturalium ad sua principia*, i. e. ad veritatum rationis practicarum primas propositiones, qua de re supra Artic. I. §. 6. 7. diximus, diuersitatem euidenciae gradualem inde colligentes. Quodsi enim quaedam veritates rationis practicae per plures non solum medios terminos ad sua principia referuntur, & ex iis deducuntur, sed etiam aliquando sub ratione solum suasionum vel dissuasionum, item à meliori, tutiori probabiliore eliciuntur; in aprico est, quod minor sit obligatio suasionum, maior cathegoricorum dictaminum rationis, vim legis in praecipiendo

cipiendo aut vetando diferte exferentium. Fortius enim
 mouet voluntatem apodictica, quam probabilis veritas mora-
 lis, necessitas fortius urget, quam commodum, debitum plus
 obligat, quam tutum in officio. Attamen, quod tutum est,
 pariter obligat, cum è minus tuto, si eligatur, periculum im-
 putationis immineat. Manifestum est ex his, maiorem obli-
 gationis gradum inesse *LL. naturae fundamentalibus, absolutis &*
valde euidentibus; minorem vero inesse *LL. naturae minus funda-*
mentalibus, arbitrariis, minusque euidentibus. Si enim actio aperte
 turbat finem, scopum conditionem naturae, omittendi necessi-
 tas est maxima, si vero non directe turbat, incommoda autem
 producit, quae vel per indirectum nocent; omittendi necessi-
 tas tanta solum est, quanta intelligitur esse noxa ex actione
 timenda. Si actio quaedam aperte suffulcit & conseruat fi-
 nem, scopum, conditionem naturae, vt ad perfectionem status
 nostri verum medium existat, faciendi necessitas est maxima,
 si vero in actione illud non aperte conspicitur, conueniens au-
 tem illa, vel alia conuenientior esse, salutique humanae com-
 modum procurare iudicatur, faciendi necessitas minor, & tanta
 solum est, quantum intelligitur esse verum inde profuens
 commodum; nec adeo obligat è suapte natura, cum in ipsa
 actione videatur indifferentia moralis locum habere, sed è nota
melioris, tutiorisque, quod sectandum esse, ratio dicitur, & ipse
 quasi naturae instinctus postulat.

S. VII.

Summa ergo totius rei haec est: Obligatio maior vel mi-
 nor dictaminum rationis, seu *LL. naturalium* est ex maioribus
 vel minoribus motiuis, quae voluntatem adficiunt. Maiora
 vel minora motiua voluntatis sunt e maiore vel minore eu-
 identia debiti, vel illiciti. Haec est ex arctiore vel laxiore ne-
 xu cum natura & rationis principiis. Hic denique est è ma-
 iore vel minore, aperto vel obscuro influxu in felicitatem vel
 infelicitatem naturae aut status nostri. Sic pro qualitate eu-
 identiae rationis est qualitas legis naturalis. Pro qualitate le-
 gis est qualitas obligationis. Vbi nulla est rationis euiden-
 tia,

tia, ibi res non est obiectum legis naturalis, & obligatio naturalis pariter expirat.

§. VIII.

Quod non idem sit obligationis gradus omnium legum naturalium, dubio procul attenderunt illi, quibus maxime familiaris est distinctio inter officia perfecta & imperfecta, inter obligationem perfectam & imperfectam (b). Si dantur officia imperfecta (quorum communiter officia humanitatis referre solent (c)) ad quae non est perfecta obligatio, ut ad illa praestanda cogi quis in foro humano possit, ex ratione, quod sine ipsis, licet non satis commode, consistere tamen magna, quae homines incedit, societas possit (d), liquido adparet, imperfectionem officii & obligationis causam habere voluntatis motium minus, illud vero causam habere in nexu officii non necessario cum societate. An vero dixeris, ad illud officium obligor imperfecte, an dixeris: Obligatio ad illud officium est gradu minor, ad eundem sensum recidit. Specialior autem meditatio dabit forte, quod officia humanitatis non sola sint, ad quae minor, seu ut aiunt, imperfecta incumbit obligatio, sed quod longe plura istius notae obveniunt in tam innumeris actionibus hominum, inque tota illorum vita adtendenda. De quibus idem obseruandum est, quod de officii humanitatis solet moneri, quod nimirum illa pro varietate status, conditionis humanae, temporisque ab imperfecta obligatione saepe ad perfectam transcant.

- (b) Solemnis autem est ista distinctio post GROTIUM, PUFENDORFIVMque plerisque I. N. Doctoribus.
- (c) IO. GEORG. WALCHIVS, Einleit. in die Philos. Lib. II, Cap. 6. §. 121, Officii humanitatis addit officia modestiae, continentiae, patientiae.
- (d) Verba sunt DN. BVDDEL in Element. Philos. Pract. P. II. Cap. 4. Sect. VIII. §. 1.

§. IX.

Illi, qui maximam legum & consiliorum rationis differentiam urgent, vnde est, quod adeo urgeant, nisi ex impari obligatione nostra ad haec & ad illas? Quis autem negabit, quin omnia rationis dictamina, siue legis rigorem, siue consiliorum

rum faciem prae se ferant, sint eiusdem rectae rationis; ad
 vsum vero rectae rationis prima & maxime generalis homini
 incumbat obligatio. Eò ipso itaque, quod aliquod rationis
 dictamen legis vim habere cognoscitur, *magna* quidem rei
 euidencia in causa est, eò ipso quoque, quod quoddam ratio-
 nis dictamen consilii indolem habere videtur, *minor* quidem
 rei euidencia in causa est; interea tamen, licet *lex* magis, *con-*
filium minus obliget, vtrumque verè obligat, praesertim, cum
 vtrumque proficiscatur a Creatore, summo domino, vtrum-
 que etiam pro fine habeat humanam felicitatem (e). Quod
 magna, illaque interna obligatio consiliis huius generis in-
 duxit Ill. THOMASIVS (f) qui omnes leges naturales tan-
 tum pro *Consiliis* venditat, cui autem in hac sua hypothefi non
 ad stipulamur (g). Si quis interim ius naturae diuidere velit
 in *praecipiens & suadens* (quamuis ius minus conuenienter sua-
 dere dicatur) huic quidem litem magnam non mouemus; fa-
 teri tamen illum oporteret, quod suafus etiam rationis tandem
 fiat *praecceptum* & ad ambitum I. N. vtique pertineat, veram
 quoque secum ducat obligationem. Tametsi enim quaedam
 rationis dictamina formaliter leges esse non videantur, legum
 tamen indolem acquirunt e prima ista legali propositione:
Rectae rationi in omnibus est parendum &

(e) conf. GLAFEY l. c. p. 262. §. 62. Vbi gradus quidem obliga-
 tionis in LL. naturalibus concedit, sed tamen legibus istis nil
 inde decedere fatetur, vt pro consiliis strictè dictis haberi
 debeant.

(f) in *Fund. I. N. & G. Lib. I. cap. 4. §. 58 - 64.*

(g) Non est huius loci, fundamenta Viri doctissimi curatius exami-
 nare, sed id animaduertere solum liceat: Ill. THOMASIVS
 leges naturae ideo potissimum statuit esse *consilia* (1) quia de
 LL. naturalibus earumque indole iudicat ex indole LL. civili-
 um, putat enim ad legem strictè dictam requiri *disertam*
& verbalem promulgationem, & *poenam visibilem seu sensibilem*,
 vtramque desiderat in rationis dictaminibus seu legibus natu-
 ralibus. (2) Quia putat, DEVM non vt imperantem & do-
 minum, sed potius vt *beneuolum patrem* per naturam & ex
 ratione concipi; patris autem esse *hortari*, non ferre leges pro-
 prie.

prie dictas. Sed quod *prie* adinet, cum variae sint legum species, ab indole LL. ciuiliū ad indolem LL. naturahum, à legislatore humano ad DEVM summum legislatorem, minus tutum ducitur argumentum, minusque valida per omnia conclusio. Verbalis promulgatio legis non est de essentia legis (secus nec de Angelis nec de primo homine dici posset, quod lex iis fuerit data) sed sufficit, ut quocunq; modo ad notitiam eorum, quorum interest, perueniat. *Verbalis* legum in re publica ferendarum *promulgatio* necessaria est, quia aptior non est methodus, quā imperans voluntatem suam ciuibus notam facere possit; quia certi debent esse cives, hanc verē esse voluntatem imperantis, nec sibi, aut à quodam communi rumore, aut a priuatis, legem mentientibus, imponi; quia denique multi se ignorantia excusarent, quamuis dolose, mentes enim explorare, imperantium nemo valet. Verbalis autem LL. *naturaliam* promulgatio non est necessaria, suam enim DEVS voluntatem alia methodo hominibus notam facere potuit, nec in promulgatione per rationem, impostura, aut ignorantia verenda est, conscientia enim hominis nec sibi nec DEO cordium scrutatori, dissimulare aliquid potest. Quod autem multorum praeceptorum diu. homo hodie ignarus sit, quorum in statu rectitudinis clarissimam habuisset notitiam, id corruptae suae naturae tribuendum habet. Tandem, quaeenam promulgatio maior & sufficientior est? an illa, quae fit per inscriptionem legum in *tabulas*, an illa, quae fit per inscriptionem in *corda* & conscientias? *Rom. II. 15. illam* temporis iniuria obliterare, malitia aut negligentia destruere & perdere potest, *hanc* nequaquam, *illa* difficillimo negotio vniuersalis fit, *haec* est ipso actu. Ad exceptionem autem THOMASII, *poenam* *susceptibilem* & *veram* non reperiri LL. *naturalibus* adiunctam, responderunt dudum alii, partim, quod illa ad legis essentiam non pertineat necessario, partim, quod prauarum actionum prauī fructus, licet naturales & necessarij sint, tamen ut poenae diuinae respici possint, quia DEVS totius naturae auctor, etiam illius nexus, qui est inter actionem & euentum suum, auctor existit. Prouocauimus iam ad WOLFFII hac de re deductionem *I. c. cap. I. §. 30.* At, si vel de ordinariis malarum actionum fructibus nil dicamus, manifestum tamen est, mille mille plagis, quae extraordinarie & inopinato saepe accidunt, DEVM homines adficere posse, quas non nisi poenas promeritas esse ipsa cauteriata conscientia dicitur. Licet quoque id obdurata mens dissimulare & falso cuidam adscribere velit, conf.

1. *Sam. VI. 9. Jer. V. 3.* malum illud tamen vera poena esse non desinit. Cum tandem homo sciat, se immortalem animam habere, nouit quoque, illam maximis poenis post hanc vitam à iustitia diu. referuari posse. Quod autem *posterior* adiectum THOMASII fundamentum, etiamsi ratio è summa DEI bonitate *paternum* in DEO adfectum esse, concludere queat, tamen simul è conceptu iustitiae & potentiae diuinæ, DEVM agnoscit ut summum dominum, seuerum iudicem, & rigidissimum scelerum vindicem. Sicut quoque *hic* de DEO conceptus magis proprius est homini in statu naturæ & legali uiuenti; ita conceptus de DEO *paternus* magis proprius est homini degenti sub gratia, quæ & verum fundamentum paterni in DEO erga nos adfectus docet, & parrhesiam filialem unice largitur. Non quidem negandum est, quod Ethnici *Jeum* suum, sicut reliquos deos, *patrem* uocauerint. Vid. LAETANT. FIRMIANVS L. IV. *diu. Instit. cap. 3.* Vnde *Jupiter Pappæ*, item *Pappæus* a *Scythi* & *Bythinis* cognominatus, cui & supplicatur *Aeneas* apud VIRGILIVM *Lib. 3. Aeneid. v. 89.*

Da pater augurium, animisque illabere nostris!

Non tamen alio sensu id fecisse credendi sunt, quam quo reges & principes, partim ob debitam iis reuerentiam, partim ob eorum generalem, quam felicitati subditorum impendunt, uocantur: *patriæ patres!* quo tamen cognomine non obstante, imperantes & legitatores esse à subditis creduntur, ex hac notione plus reuerenti, quam ex *illa* dilecti communiter.

SECTIO II. PRACTICA

NONNULLAM SUPERIORIS THEORIAE ADPLICATIONEM SISTENS.

§. I.

Quod hæcenus differuimus de diuerso gradu euidentiæ & obligationis legum naturalium, id frequentem admittit adplicationem, & non sine usu esse uidetur in multis actionibus uitæ humanæ, casibusque diiudicandis. Omittimus autem alia omnia, quæ copiosam dicendi materiam hic nobis suppeditare possent, Quandoquidem uero opinamur, has meditationes

ditiones nonnihil conferre ad explanandas materias matrimoniales: de *Polygamia*, *Concubinatu*, *Disortio*, & nonnullis *Gradibus prohibitis* seu *incestis nuptiis*, vt aliquis superioris Theoriae vsus adpareat, disquiremus, ane sint contra ius naturae, & vtrum ex huius iuris placitis de illis existimari possit, vtrum minus? Prosequemur illud institutum pro spatii nobis praefixi ratione, hoc est, breuiter, tum quoque ita, vt nemini nostram qualemcunque sententiam obrudamus, sed vt penes vnumquemque stet de rebus dicendis maturius arbitrium, & vberior in veritatem inquisitio. Ex vtroque capite veniam merebimur, si in difficili atque prolixo argumento aut allucinati esse, aut eidem non fecisse satis, alicui videbimur. Non enim id à nobis alieniora esse credimus, quod passa sunt ingenia longe praestantiora, quae viam salebrosam planam reddere, incassum laborarunt.

S. II.

Nec instituti nostri, nec necessitatis esse arbitramur, sius recensere, quomodo de dictis materiis hinc inde disceptatum fuerit, aliis illas ad ius naturae referentibus, aliis illas ex ambitu illius iuris excludentibus; nulla tamen parte alteram conuincente penitus. Factum est inde, vt quidam recurrerent ad inuentionem *Legum positiuarum vniuersalium* (h), statuentes, ius quidem naturale de dictis materiis nihil praecipere, sed illas tamen aliquando a DEO per difertas leges hominibus, totum genus humanum repraesentantibus determinatas esse, sic, vt per oralem traditionem hae leges propagari debuerint ad cuiusuis aevi & nationis indiuidua humana, quae etiam re vera ad harum legum obseruantiam teneantur, licet illas actu ignorent (i). Quum autem ipsi certe huius sententiae patroni ac propugnatores maturius postea secum expenderint, quod dictas leges posituias, si vniuersales esse, omnesque omnium temporum homines obligare debeant, omnibus quoque promulgatas esse, omniumque ad notitiam vere & actualiter peruenisse oporteat (dummodo culpa ignorantiae non in ipso subiecto resideat) (k), & quod iure nemo teneatur ad legem, quam

quam latam sibi esse, citra suam culpam nescit; sententiam mutarunt, & aliam viam sunt ingressi. Notum est, quod III. THOMASIVS separatione *iusti, honesti ac decori* se extricare quaesiverit; quo ipso vero, cum, uti supra dictum, doctrinam de honesto & decoro pariter è iure & vsu rectae rationis, seu par erat, deduxerit, trinumque hoc actionum principium non nisi ob methodum separandum esse, factus fuerit, omniumque inde fluentium praeceptorum veram esse obligationem generalem, non dissimulare potuerit; (quod etiam, qui illum sequuntur, non abnuunt) reuera omnes quaestionis materias *iuri naturali*, sibi licet late dicto, vendicavit. Nec minus notum est, Celeb. IO. FRANC. BVDDEVV legibus *positivis uniuersalibus*, in *Element. Philos. Pract.* alibique antea à se defensis, postea pariter valedixisse, se autem expediuisse distinctione inter *leges naturales absolutas & hypotheticas*; quarum illae ex ipsa rationalis naturae conditione patefiant, *haec* autem institutum diuinum peculiare praesupponentes, è diligenti consideratione istius instituti & eius scopi a DEO intenti, indolis quoque, hominibus singulis naturaliter cognosci possint. Vid. eius *Instit. Theol. Moralis P. II.* passim. Verum, licet illa distinctio in se satis fundata sit, quis enim dari instituta diuina negauerit, quando tamen quaeritur: vnde homo ethnicus nouerit: e. g. matrimonium esse peculiare institutum diuinum, vnde de scopo huius instituti, deque eius genuina indole satis ex ratione constet? responsio non adeo erit in promptu, ut obscuris hactenus rebus magna lux affusa esse, credi queat (1). Quapropter bene magna pars eruditorum, quoad has quaestiones, persistit in legibus positivis uniuersalibus. Sicut autem in tanto sententiarum diuortio cuique suum relinquendum est arbitrium, ut nodos Gordios ille ense, alius consilio soluat; ita subscribimus his, qui dictas materias ad ius naturae utique referunt. Est autem illorum, qui ita statuunt, non exiguus certe numerus tam è *Theologis*, quam è *Iure Consultis*, quam è *Philosophis*, siue hodierna siue paullo remotiora tempora perlustras, ut ut sua probandi methodo quisque ferè ab alio necquidquam dissideat.

E

(h) Ad

- (h) Ad quas haec tria requiri docent: 1) *ut Scriptura doceat, aliquem actum vitium aut praeceptum esse.* 2) *ut praeceptum toti generi humano sit datum.* 3) *ut lex illa non possit ex conuenientia, vel disconuenientia cum natura hominis rationali & sociali deduci.* In tertio requisito cardo rei esse videretur, cum ambo praecedentia nullum habeant idoneum medium terminum ad probandum quod dentur leges positivae vniuersales, à naturalibus distinctae &c. Sed ninos omnia fallunt, illud tertium requisitum laborat petitione principii, cum non facile lex reperitur ex illis quae positivae vniuersales dici merentur, quae non conuenientiam vel disconuenientiam aliquam cum natura hominis rationali & sociali prodat, aliquam dicitur, nam & illa sufficit.
- (i) Adde: *licet quoque non possint non ignorare.* Non enim quaestio est, anne talium legum notitia ad omnes omnis temporis posteriores propagari poterit, debueritque, sed, quaestio est, an propagatio facta sit, & ane inter multas orbis integras gentes illarum legum traditio multis iam inde seculis interierit, cessaueritque? Qua autem ratione e patre meo scire potui, quod ille nesciuit, & eius maiores pariter nesciuerunt, quin quod in ista tota gente, quoad hominum memoria retrocedere valet, auditum non fuit. A primis enim temporibus remotiora hodiernaque longe differant.
- (k) Si id non statuendum esset, sed si potius ad veram omnium individuorum obligationem sufficeret casus factae aliquando generalis promulgationis, eodem fundamento dicendum esset e. g. illos, qui hodie viuunt in densissimis gentilissimi tenebris, obligari ad fidem & euangelium, quia olim illorum maioribus per Apostolos & viros apostolicos illud patefactum fuerit, quod retinere & propagare illi debuissent. Licet vero DEVS illud utique pro sua iustitia integre genti imputare possit, tamen non imputat illis subiectis in quibus istius neglectus aut vilipendii, aut amissionis culpa realis non resideat. Lex enim, & quidem naturalis norma erit, ad quam DEVS aliquando iudicabit individua in gentilismo. Praeterea quoque de obligatione in foro conscientiae, illaque naturali hic sermonem esse, non de quacumque imputatione in foro iustitiae diuinae (illa enim nos latet) iam monuimus Artic. II. §. 3. prioris Sectionis.
- (l) DN. BVDEVS ipse hanc difficultatem diffiteri non audet, disserens enim de incestu, ita ait in *Inst. Theol. Moral. P. II. cap. 3. Sect. VI. §. x.* *Quod autem ratio absque reuelatione hanc probationem ignoret, prohibitionisque graduum, saltem collateralium, aut nullas, aut verosimiles causas adferre valeat, inde est, quod insitius*

stituti huius (de matrimonio) indoles non aliunde nobis hodie, quom
 & scriptura constat. Olim vero, priusquam literis quidquam confi-
 gnatum fuit, per oralem propagationem, ut reliquae leges, ita & in-
 stituta diuina, omnibus gentibus innotescere potuerunt! Quae ver-
 ba, qua ratione cum ipsa hypotheli concilianda sint, certe nos
 non adsequimur.

§. III.

Ut ad rem ipsam propius accedamus, praesupponimus,
 non esse quaestionem, num polygamia, concubinatus, diuorti-
 um & quaedam nuptiae incestivae sint *contra ius diuinum & euclatum*
in S. Scriptura? Hoc enim, quidquid aliqui magnis molimini-
 bus, & nuperrime DN. ANDREAS HOIERVS, in *Diagrammate*:
De nuptiis propinquorum iure diuino non prohibitis (m) contradicant,
 sancte adfirmamus. Verum illud quaeritur: *an haec capita*
sint contra ius naturale, seu an ipsa rationis lege prohibeantur? Nobis
 liceat ita sentire, quod quaestio in certo respectu, & sub certa
 restrictione & negari & adfirmari possit. Negatur, si cum non-
 nullis ius naturae in *solis regulis iusti* collocamus, & in *sensu angus-*
stissimo illud accipimus, pariter, si sermo est de *classe LL. naturae*
fundamentalium aut absolutarum, quae apertum cum natura ne-
 xum seruant, in felicitatem vel infelicitatem societatis direct
 influunt, & ad insignem, nisi primum euidentiæ ac obliga-
 tionis in conscientia, gradum contingunt, ut nec multa inue-
 stigazione opus, nec dubiis casibus locus sit. Adfirmatur au-
 tem quaestio, si ius naturae, ut par est, non in *sensu angustissimi*,
 sed *latiore* sumitur, ut etiam regulas honesti & decori natu-
 ralis contineat, *legesque minus fundamentales, arbitrarias* praeser-
 tim complectatur; si item in illa latitudine spectatur, quã *ad*
omnia rectae rationis dictamina, quatenus ad illa obligatio homini
 incumbit, se extendit; pariter, si non solum spectamus *officia*
 primae, sed etiam *minoris euidentiæ & obligationis*, seu non solum
 illa, quae cum ipsa natura in suis quasi essentialibus nexum
 habent, sed quoque illa, quae ad eius, societatisque *maiores or-*
dinem, felicitatem, quietem, & minus commodum facere intelligun-
 tur; tandem, si reputamus, nos naturaliter teneri non tantum
 ad ea, quae validissimam legum vim, in *debito vel illicito* prae-

se ferunt, sed etiam ad ea, quae per modum suspensionum rationis à meliore tutiore &c. desumtarum, nobis repraesentantur; Paucis, si credimus, quod contra rectam rationem agere, sit contra ius naturale agere. Ita nimirum argumentamur: Quaecumque actiones morales è ratione sibi relicta diiudicari possunt, ut haec ad agendum vel omitendum motiva voluntati suggerat, illarum actionum consideratio recte refertur ad ius naturale. Atqui actiones in polygamia, concubinato, diuortio & nonnullis matrimoniis incestis è ratione sibi relicta &c. &c. Ergo istarum actionum consideratio recte refertur ad ius naturale. Maior propositio probata est Sect. I. Artic. I. Minor iam probanda erit. Enimvero inficias iri nequit, rationem sibi relictam 1) non parum occupari circa dictas actiones earumque moralitatem cognoscendam. 2) varia suggerere motiva, vnde à dictis actionibus abstinendum sit. 3) deprehendere, quod tam hominibus indiuiduis, quam societati incommoda, confusiones, felicitatis & quietis imminutio, damnumque aliquando inde oriatur. 4) hortari vero, vt homo subinde consultius, melius, honestius, tutius eligat. Non dubitandum ergo est, quin istae actiones iure naturali prohibeantur.

(m) Cui, vt accepimus, geminam disputationem opposuit DN. KLAUSINGIVS. Theologus Lipsi quam autem videre, nobis nondum contigit.

§. IV.

Quod itaque speciatim ad Polygamiam adinet, quâ vnus vir plures simul vxores in matrimonio ducit (n) iure naturali illa generatim prohibetur, quia ratio cognoscit varia inde fluere incommoda, iudicatque monogamiam meliorem, honestiorem magisque societati conuenientem esse. Inter alia enim rei momenta pensitanda sunt sequentia: 1) Qui vnâ plures vxores ducit, de viribus tam animi, quam corporis periclitatur, cum ad exsatiandam modestam & innocuam venerem, vnica vxor sufficiat, quin quod vnica, si salacioris naturae sit, ultra vires facessere viro poterit. Atqui immodica venere nil magis exhaurire animi corporisque facultates, physiologia docet, docetque multos nimis sero experientia. 2) Antequam vnâ pluri-

bus

bus quis ad fidem coniugalem se adstringat, certus sit oportet, se iis non tantum pro praesenti, sed etiam in futurum se secturum esse; id quod eo minus tuto praesciri potest, quo minus homo sibi ullam securitatem praestare valet à futuris morbis grauioribus, variisque casibus contingentiis, quibus natura oppido debilitatur &c. 3) *Finis matrimonii*, qui est *honesti sobolis procreatio* & *educatio* obtinetur cum *unica*-coniuge (o), ille autem finis non eoque procedit, vt multiplicato praesertim genere humano, copiam proliis requirat generandam, ipsi certe societati aliquando molestant. Quod bene pensitavit PVENDORF-FIVS ita scribens (p): *Accedit etiam ratio politica apud plerosque populos cultiores post genus humanum tantopere multiplicatum, valens contra polygamiam; quod per liberorum multitudinem nobiles familiae ad egestatem, modicae ad mendicitatem sint redigendae, ac nimia multitudine tenuis plebeculae ciuitas opplenda, quae, vbi commode euacuari nequit (cuius rei non semper est occasio) mole sua rempublicam sit pessandatura.* 4) Inter incommoda quae è polygamia oriuntur, sunt *rixae domesticae coninuae*, cum ratione *zelotypiae*, tum ratione *gubernationis domesticae*, quam quaeque alteri praeiperet aut impediret; Vt rixas inter liberos diuersarum matrum, his facile illas inspirantibus, vtque odium nouercarum erga alienam sobolem taceamus. (q) Pertinet huc quoque *dissipatio* & *attenuatio opum*, si inter haeredes plures diuidi debeant, iuxta ac nimia alendi tantam familiam *difficultas*, dum his certe temporibus paucissimi modicam familiam commode alere possint. Nec ad difficultatem solum alendi, sed etiam, vt fas est, *educandi* copiosam prolem, respiciendum erit, monente illud cum alius DN. WOLFFIO (r). 5) *Disuadetur merito polygamia*, si consideratur *aequitas coniugalis ex aequalitate naturali*, quae officiorum erga proximum, integramque societatem facile mater existit, & societati coniugali quoque ceu basis mutuarum officiorum substernenda est. Quamuis enim vir in coniugio primum merito locum teneat, suisque non defraudandus sit iustis praerogativis, illae tamen non sunt nimis aut ultra rationales terminos extendendae. Plus ergo licere in negotio

gotio coniugali viris, quam mulieribus, nullo idoneo argumento probatur, vtrique vero sexui rationis seu naturae lege castitas & sobrietas circa actus generationi destinatos iniungitur, ne animus mollis & voluptuosus, corpus autem emaciatum & debile reddatur. Vtrumque sexum ratio docet, quod naturae stimulus solum ob negotium sobriae generationis datus sit, non autem generatio ordinata propter stimulum. Quod si ergo polygynaecia Viris naturaliter licita esset ad exsatiandam venerem, vt non tenerentur illam capistrare & ad iustos honestosque limites reuocare, quidni eodem iure liceret mulieribus polyandria ad eundem finem, cum harum cupido difficilius aliquando expleatur, (s) vel cohibeatur, nec ab imbecillitate sexus istius id postulandum sit, quod viri a se postulari nollent. Equidem rectissime adferuntur rationes, quare Polyandria sit contra ius naturae, praesertim a seminis confusione, prolis incertitudine &c. Sed illis nondum satisfactum est argumento, quod pro Polyandria ex aequalitate naturali duci posset, si propter libidinem exsatiandam polygamia viris liceret. Quandoquidem etiam maritus per polygamiam sibi satisfacere intendit, aequum quoque est vt *singulis*, quas ducit, *satisfaciat*, quod & *Herculi* nimis foret; aut demonstrandum est, mulieres in hoc naturae stimulo non idem ius habere quod viri, fecit autem natura homines aequales. Quo minus Polyandria vlli vmquam licita visa fuit, eo magis certum est, maritum velle, vt vxor sibi corpus in solidum & non pro rata addicat; ergo aequitas iubet, vt & maritus vxori corpus suum non pro rata, sed in solidum addicat. Respicit HVGO GROTIUS ad illam aequitatem, quando pro monogamia hanc rationem adlegat, (t) vt scilicet animus ab vxore in solidum marito datus, aequali retributione pensetur &c. Tandem, sicut Polyandria argueret ingentem mulieris lasciuam & voluptatis intemperiam, quam tamen recta ratio castigandam docet, cum finem & scopum naturae excedat; ita quoque polygynaecia arguit eandem viri intemperiam, & quod in nuda varietate delectetur, id quod leuis animi indicium est, quasi quis, se ad illud factum esse putet, vt cupiditatibus indulgeat, & veneri litet.

(n) Ergo

(n) Ergo non de polyandria, nec de polygamia quae dicitur *succes-
siva*, sed de *simultanea*, graecè: *πολυγαμία*, quae apud Ictos
Bigamiae nomine frequenter occurrit, sermo nobis est. Po-
lyandriam, iuri naturali absolute repugnare, nemo est qui
dubitet. Polygynaciae intempestiuos defensores, inter quos
recentiore tempore HIERONYMVS BRÜCKNERVS, IOAN-
NES LYSERVS, & SAM. FRID. WILLEMBERGIVS agmen
duxerunt, recensere hic non attinet.

(o) Quod si quis obiiciat; naturam ideo suadere polygamiam, quia
vir singula cohabitatione singulam mulierem impraegnare
coeteris paribus, copiosamque prolem suscipere potest, cum,
si vniam tantum ducat, quae vniam tantum prolem per an-
num ferre potest, simul ac ista conceperit, finem cohabita-
tionis non adsequatur (quod argumentum est IO. LYSERVS
in *Königl. Marck aller Länder*, passim, *vid. conclus. 1. G.*
22. 62. 64. Vbi monogamiam vt atrox delictum, polygami-
am autem vt caput virtutum depingit, ad suam hypothesin
detorquens illud *Jacob. IV. 17. Qui scit bonum facere, sed non
facit, peccatum est!*) Alii respondendum esset. 1) Hoc pacto quem-
libet virum 365. ni plures, vxores ducere debere, quod valde
ridiculum, & impossibile est, cum tot & vxoribus & liberis
vnus viri alendis vix mediocri prouincia sufficeret. 2) Vnde
tandem conquirendae essent omnes mulieres, cum plus quam
probabiliter etitici possit, vnuersum tot esse viros in mundo
quot mulieres, hem! quot viri quererentur, nullas sibi re-
lictas esse vxores, Innumeras ergo myriades mulierum plu-
res creare DEus debuisset, si istam rei faciem in multiplicatio-
ne generis humani intendisset. 3) Quid autem fieret de mu-
lieribus, quarum patius calor, si non maior, non tamen mi-
nor est, calore virorum?

(p) *I. N. & G. Lib. VI. cap. 1. §. 19. pag. 967.*

(q) ad illud incommodum bene attendit b. Theologus IO. GER-
HARDVS de *coniugio No. 235.*

(r) in *den vernünftigen Gedanken von dem Gesellschaftl. Ver-
halten der Menschen cap. 7. §. 42.* Vbi quoque iis respondet, qui
putant, polygamiam illis forte licere, qui & alere, & educare
plures liberos possunt; item his qui putant, istiusmodi in-
commoda tantum per accidens à Polygamia oriri.

(s) Vnde SAELOMON mulierem sterilem inter res maxime infatig-
abiles refert. *Prou. XXX. 14. 16.*

(t) *Libello De Veris. Relig. Christ. Lib. II. §. 14.*

A. V. Si

S. V.

Si ère nostra esset, magnus consensus posset produci DD. qui polygamiam aut simpliciter I. N. repugnare, aut certe ob tutius, vtiliusque omittendam esse censent. Tacemus Theologos tam nostrates (u) quam Pontificiae & Caluinianae religioni addictos, quorum omnes illi a partibus nostris stant, qui LL. positivas vniuersales negant. PVFENDORFFIVS autem (v) ex ipsa inquit recta ratione constat, longe decentius iuxta atque vtilius esse vnum vna esse contentum. Et iterum (w) id sane patet, optimum & maxime decorum, simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse, vnum vna vivere contentum; adeoque hoc matrimonii generis sine dubio perfectissimum habendum, cuius leges non minus marito, quam uxori sanctissime obseruandae. Idem ex recta ratione probat GOTTLIEB GERHARDVS TITIVS. (x) CHRISTIANVS WOLFFIVS (y) polygamiam e iure rationis illicitam esse deducit, ex educatione prolis, quae non minus ac ipsa procreatio verus matrimonii finis est, multae autem prolis educationem difficilem, saltem incertam esse probat. IO. GEORG. WALCHIVS (z) docet: daß die Polygamie lauffe gegen die Nsichten der Bequemlichkeit, monstrat incommoda inde oriunda, & fatetur, confilia rationis hic habere vim legis. LAVRENTIVS REINHARDVS (a) polygamiam I. N. illicitam putat, solum ex pacto cum prima uxore; quidni ad alias etiam rationes adtenderit, dubium est. CHRIST. THOMASIVS (b) dum coniugium definit, quod sit: *Societas nuptialis, quae honeste & decore generandae sobolis gratia inicitur; non autem esse ait societatem nuptialem, quae non intendit generationem sobolis honestam ac decoram; deducit simul, fidem corpusque vtrinq; in solidum addici debere, ideoque polygamiam esse illicitam.* Ex illis autem quae supra dicta sunt, adparet, secundum THOMASII sententiam, id in Ius N. late dictum incurrrere, quod incurrit in honestum & decorum naturale. Sufficiat ergo, quod subdactis probe rationibus, concludi debeat: polygamiam societati incongruam molestamque, conscientiae minus tutam esse, adeoque I. N. dissuaderi.

(u) Quos



(u) Quos inter GOITL. WERNSDORFFIUS, licet statuat, polygamiam non I. N., sed positivo vniuersali prohiberi, (inductus illa ratione, quod in polygamia &c. vere dispensauerit DEVS, dispensatio autem in LL. naturalibus locum omnino non habeat) hand tamen dissimulat: *Leges positivas eius esse indolis, ut suggerantur quodammodo a ratione. Et exigantur a statu hominis sociali.* vid. eius Diss. quam inscribit: *Summam sanae doctrinae de polygamia. Theol. IV. § 4. p. 39.* Verum quodcumque ipsa ratio suggerit, quodque a statu hominis sociali exigitur, e finibus I. N. non excludendum, & ad aliam quandam LL. speciem, quae sublesta fidei est, referendum esse putamus.

(v) de Off. Hom. & Civ. Lib. II. cap. 2. §. 5.

(w) I. N. & G. Lib. VI. cap. 1. §. 19.

(x) In notis ad Pufend. item in *diff. de polygam. incestu & diuortio, I. N. prohibitis.*

(y) In den vernünft. Ged. vom Gesellschaftl. Leben der Menschheit cap. II. §. 42. Obiter notamus, quod cum ibidem §. 27. Celeb. Auctor in illa sit sententia, quod I. N. nullus concubitus licitus sit, quo susceptio proliis intendi non possit; adeo vt & coniugale commercium cum gravida uxore illicitum putet; ille quidem recte concludat, si primam naturae originem diuinamque forte intentionem in statu rectitudinis spectamus; aut non aequè bene, si statum hodiernum & corruptae naturae consideramus, in quo libidinis extinctio matrimonii finis secundarius, & permittitur est I Cor. VII. r. 5. Quod si illa omnino non esset permittitur, nisi quando sobolis procreatio ipso actu intendi posset, non videmus, quomodo in tanta naturae necessitudine homines à polygamia & concubinato arceri possent; cum illa continentia, quanta ad huc conditionem requiritur, ne centesimus quidem praeditus sit. Nihil autem est, quod morali imperio aegrius subiacer, quam incontinentia naturalis.

(z) Tam in den Einleitungen in die Philos. I. c. quam in Lexic. Philos. voce Polygamie pag. 2032 seq. vbi ita habet: *Essen wir nach dem natürl. Recht weiter nichts thun, als daß wir die äußerliche Stube in der Gesellschaft nicht stören, so ist wahr, daß selbiges die Polygamie in so weit nicht untersaget; allein, da solches überhaupt auf die Glückseligkeit der Menschen, so weit sie in diesem Leben zu erlangen, gehet; zu derselben aber auch die Commodität mit gehöret, so können wir allerdings sagen, daß nach diesem Begriff die Polygamie von dem Recht der Natur untersaget werde, weil sie die Bequemlichkeit des Menschl. Lebens verhindert.*

F

(2) in

(a) in *Synopsi Philos. Moralis*. p. 133. §. 15.

(b) in *Fand. I. N. & G. Lib. III. cap. 2. §. XI.*

§. VI.

Pergimus ad *Concubinatum* seu *Pellicatum* (c), de quo idem dicendum. Est autem concubinatus: *Consuetudo unius cum altera vel liberorum procreandorum, vel libidinis resinguendae causa, cum libertate dimittendi.* (d) Alii concubinatum ita describunt, vt finem eius nudam voluptatem esse supponant; sic WALCHIVS (e) WOLFFIVS (f) & plures; at vero THOMASIVS (g) & GLAFEY (h) extinctioni libidinis procreationem quoque liberorum vt finem adiungunt. Quod si finis concubinatus est *nuda carnis voluptas, & oblectatio in varietate*, ipsa ratio illum facile reprobat vt castitati & sobrietati non solum contrarium, sed & vero sine destitutum, ille enim est procreatio ac educatio sobolis honesta. Recte quoque ab aliis monitum est, isto modo non extingui sed excitari sollicitarique libidinem. Et certe, *quo plus potantur hoc plus sitiuntur aquae.* Meliori fucio increpatur concubinatus, quando quis ait, se procreationem sobolis primario, extinctionem libidinis tantum secundario intendere. Sed idem hic statuendum est, quod de polygamia diximus, nimirum: non sine termino procedit procreatio sobolis, sed cum illa necessario coniuncta sit cum *educatione* proliis, terminos excedere credenda est illa, si haec sperari nequit; cum vnica enim vxore tot possunt liberi gigni, vt summa educandi difficultas atiquem premat, vtque concubini ad generandam prolem nullo pacto opus sit. Si quoque *maritus* est, qui concubinam vniam aut plures alit, nisi vxorem habeat cum diuturno vel tali morbo, quo ad commercium conjugale inepta sit, confictantem, aut sterilem, aut incorrigibiliter morosam (in quibus casibus concubinatus non simpliciter malus iudicatur, ni forte rectius ad diuortium, indeque ad nouum cum alia matrimonium sit transeundum) praesumi aliter non potest, quam quod id agat mera voluptate ductus; quo ipso finem legitimum euertit, cupiditatibusque illicitis frena laxat.

Quando.

Quandoquidem vero vni vxori perpetuam fidem semel stipu-
 latus est, illam fidem violare & adulterium committere cen-
 sendus est. Nec valet, si obtentui sumat, se ob *copiosas naturae*
dotes vnà non posse esse contentum, castitatem enim & medio-
 critatem in isto negotio summis ratio dicitur consiliis, estque
 in comperto, quod feminis vbertas, modo intempestiua venire
 non facessatur, in massam sanguinis vt nobilissima chyli pars,
 sponte retrocedat. Si *maritus non est* qui concubinam alit, aut
 extinctionem libidinis, aut procreationem sobolis, aut vtrum-
 que intendit. Si *utrumque*, quidni potius legitimam vxorem
 ducit? cum qua & honestior, & ad sobolis educationem aptior
 societas & amicitia instituitur, quam cum concubina, quae nec
 marito aequalis habetur (dimittitur enim pro lubitu, quod in-
 ferioris sortis apertum est indicium,) nec curam educationis
 cum viro gerit coniunctam, nec gerere potest, cum sciat, ex
 arbitrio viri serius citius sibi migrandum esse. (i) Si *prius* in-
 tendit, vitium actionis satis manifesto adparet ex iniusto sine,
 male enim intenditur extinctio libidinis, vbi non primario in-
 tenditur sobolis procreatio & educatio, illa autem ratione con-
 cubinatus non differret a stupro perpetuo. Peccatur quoque
 ita in sobolem, per accidens ex isto commercio oriundam, cum
 parens nec paterno in illum feratur amore, nec satis sollici-
 tam circa eius educationem adhibeat curam, nec ius legitimae
 prolis in ciuitate eidem acquirat. Si tandem *posterior*, contra
 sanam agit rationem, siquidem non honestior & melior
 solum via est ad generandam prolem, in legitimo matrimonio,
 sed in hoc etiam proli magis & ex omni parte melius, quam
 in concubinato, prospicitur; proderet ergo quis aliud nihil,
 quam animum minus castum, honestum atque constantem.
 Concubinatus, quo quis *ex pacto ad dies vitae mulieri vni cohabitatur*,
 & ex illa liberos suscipit, alit & educat, proprie non est con-
 cubinatus, quum à legitimo matrimonio non differat nisi per
 omissa externa solemnia, quae autem non praescribuntur natu-
 rali iure, sed iure ciuitatis. Pariter quoque, quod, qui è
 nuptiis non solemniter contractis nascuntur, minori iure & pri-
 uilegio

nilegio gaudeant, a constitutione & consuetudine pendet ciuitatis, ad quam tamen, qui in illa degit, merito adtendere debet, si sine culpa esse cupit. Quemadmodum ergo ex haecenus dictis liquet, concubinatum parum conuenire rationali & honestae propagationi generis humani, parum conducere educationi liberorum, multas secum ducere molestias & haud obscure prodere actionis iniustitiam; ita negari nequit, quod recta ratio concubinatum generatim illicitum agnoscat, ad minimum dissuadeat, vt tutius, melius, honestiusque ab illo abstineatur. Conf. WALCHII *Lex. Philos.* (k) vbi plura concubinatus vitia & incommoda recensentur. Caeterum THOMASIVS, GLAFEY, aliique non sine fundamento monent, quod concubinatus, qualis communiter intelligitur, cum scortatione aut adulterio formaliter non idem sit, ex hac inter alias, ratione, quia secus dicendum esset ad obiecta exempla patrum V. T. quod DEVS dispensauerit circa scortationes & adulteria.

- (c) Concubinae & pellices passim vocantur: *Vxores secundariae*. Monemus autem hoc loco, nobis sermonem non esse de *matrimonio*, quod dicunt, *ad morganticam*, illud enim, quando iustas causas habet, non solum legitimum matrimonium est, sed etiam suo commodo aliquando non desistitur. Nam quod personae contrahentes dignitate generis non sint aequales, item quod liberi ex pacto nec in titulos & dignitates patris aut matris, nec in plenas opes succedant, ipsi coniugio & educationi liberorum nil officit.
- (d) ita WERNSDORFFIVS *disser. citata. pag. 7. §. 5.*
- (e) *Lexic. Philos.* voc. *Reib-Ehe* scribit: Concubinatus ist, wenn ein Mann nebst seinem rechten Weibe auf eine gewisse Zeit noch eine andere hält, um ihr der Lust halben beyzuwohnen. die Kinder aber, die zufälliger Weise erzeuget werden, nicht als rechte Kinder erkennen.
- (f) In den vernunft. Gebanken von dem Gesellschaftl. Leben der Menschen. *cap. 2. §. 50.*
- (g) *l. c. Lib. III. cap. 2. §. 27.*
- (h) Im Vernunft- und Völker-Recht. p. 757. §. 108.
- (i) Non probabile est, vllam honestam foeminam in concubinatus pactum facile consensuram esse, cum sine dubio legitime duci, & perpetuae vxoris iure frui, quam vagabunda & deserta esse malit. Quae autem concubinatum non detrectat, aut ducitur

citur libidine, aut desperatione de nuptiis legitimis, aut lucri cupidine, si ab opimo amatore in consortium adfiscitur. Vir pauper nec alere, nec inuenire facile concubinas poterit.

(x) voce: *Rebb. Ebe.* p. 1542.

S. VII.

Videamus, quid recta ratio statuat de *Diuortio*. Non loquimur de Diuortio, quod fit ob iustas causas (1) vel auctoritate publica; sicut enim illud iure diuino reuelato licet, ita quoque iure naturali. Loquimur de *diuortio temerario*, quò vltimum maritus repudiat vxorem sine fontica causa. Illud peccat (1) *contra aequitatem naturalem*. Si enim vxor marito displicet ob nonnullos *ingratos, corrigibiles* tamen & ipsum matrimonii scopum & quietem non euercentes *mores*, aequitas postulat, vt maritus illos aut toleret, aut corrigere studeat, quia ipse suis non caret naeuis, suisque forte moribus vxori etiam molestus esse potest, ob quas tamen nemo vellet à sua vxore repudiari (m), praesertim, si per illam aut opibus, aut dignitate valeret, aut illam impense diligeret. Si vxor marito displicet *solum ob aliquam deformitatem è morbo*, siue ante coniugium, siue durante illo, contracto, quum forma facile perdat, & hâc magis caduca res facile nulla sit; iniquum est, imputare innocenti, quod DEus & natura fecit, & certe character est voluptuosi animi, neglectis alijs in vxore virtutibus, in sola faciei forma haerere, & leuiore eius mutatione offendi. Formam maritus quoque aut per occiduam senectam, aut per morborum violentiam perdere, & vxori venustae minus placere posset, cui tamen se repudiandi nollet esse concessam potestatem. Si dimittit maritus vxorem *solum ob ususam diuurnas consuetudinis*, quâ illius pertaesus, aliam ducere mallet, nonne id aequitati repugnat, quam debet vxori, nonne isthoc nouitatis pruritu, animi luxuriantis, inconstantisque notam manibus palpandam praebabit? Istius autem generis animi vitii frena laxanda esse, quis temere dixerit? Vetat pariter aequitas temerarium diuortium ex illa causa, quia dimissa vxor, cum *nec se aliter commode possit, nec facile ad eiusdem sortis ma-*

rimonium spem habeat, reddatur infelix, quod sacrae literae innu-
unt Eccl. LIV, 6. Unde etiam PVFENDORFFIVS (n) teme-
rariam matrimonii dissolutionem contra ius naturae esse pro-
bat: non solum è natura pactorum & damno societatis inde oriundo, si
illa cuique liceat, sed quoque è contumelia insigni, quae indigno inferitur
benefic. (2) Scopo & indoli honesti matrimonii contrarium est diuortium.
 Cum enim matrimonium ineundum sit non ad generandam
 solum, sed educandam quoque prolem, tum etiam ad *mutuum*
adiutorium, contrahendamque arctissimam, quae similem nul-
 lam habet, amicitiam; totus ille matrimonii scopus obtineri,
 aut felicitas per illud sperata ad iustum gradum prouehi cer-
 te nequit, nisi ipsum matrimonium indisruptum maneat, quo-
 ad uterque coniugum vixerit. *Amicitia* praesertim & *mutuum*
adiutorium coniugum genuina esse non possunt, si vxor quo-
 tid e verendum habet repudium. Sicuti enim coniugalis so-
 cietas omnium est arctissima, ita aptissima, est ad collocandam
 coniugis in coniugem fiduciam plenissimam, vt alter alteri cor-
 dis secreta tuto aperiat, aerumnas sine metu in sinum eius ef-
 fundat, de auxilio eius in cunctis casibus certus sit, in mor-
 bis grauioribus eius curae & tractationi se committat, illam
 denique subministracionem (*Pflege und Handreichung*) sibi ab
 illo polliceri possit, quam nemo alius facile praestiterit, quam
 etiam ab aliis admittere non raro verecundia vetat. Docet
 sane experientia, coniugis iacturam inaeestimabilem & irrepa-
 rabilem esse, nec vmquam satis compensari acquisitione alius
 cuiusdam vxoris. Quo enim diutius vnà vixerunt coniuges,
 eo arctior illorum est necessitudo, eimer weiß sich in des andern
 Humeur zu schicken, und man kan es mit einer andern in langer
 Zeit nicht wieder so an- und gewohnt werden, vt ergo in hac so-
 cietate mutatio non modo sit molesta, sed etiam periculosa, &
 non raro damnum inferat rei domesticae. liberis, ipsique ad
 secunda vota transeunti non exiguum. Obseruatur praeterea,
 quod, si amor & virtus regnant inter coniuges, vitaque me-
 thodo, viuatur vtriusque rationali, neutra pars de diuortio um-
 quam cogitauerit; si autem alterutra pars aut vtraque scelesti
 est

est animi, virtutemque & rationem postponit, mirum non est, quod in diuortio remedium quaeratur. Vnde satis liquet, temerarii diuortii causam communiter esse vagam lasciuiam, defectum rationalis amoris, odiumque virtutis. Cuius autem causa mala est, id ipsum in se bonum esse non potest. Quod vero ad *educationem liberorum* spectat, quin ad illam ordinarie plus conducat, si coniuges vnà manent per vitae dies, sique iunctâ operâ liberorum curam gerunt, quam si separantur (o) diffirebitur nemo. Nec parum est crudelitatis, per diuortium temere factum orbare gnatos patre aut matre; licet enim deferbuerit amor coniugum mutuus, manet tamen *scilicet* vtriusque parentis in prolem, huiusque in vtrumque parentem. Certe, qui suis liberis, repudiata sine necessitate illorum iusta matre, nouercam obtrudit, parum illos amare animo praesumitur. In casu etiam talis diuortii, *vtri parentum liberi sint vendicandi, aut quomodo inter vtrumque diuidendi*, cum non maius huius sint, quam illius, ab vtroque amati, vterque etiam amatus à liberis; ambigua est quaestio. Si enim coniugum vterque diues est, vt alere prolem possit, vterque illam sibi vendicare volet, si vero vterque pauper est, neuter sibi ad alendum volet obtrudi, amabit tamen illam vterque. In vtroque autem parente tepidi amoris documentum foret, si inter diuortium facientes de liberorum diuisione facile conueniret. Tacemus plures rationes, quibus incommoda è diuortio oriunda haut difficulter cognoscuntur. Illud tantum non praetermittendum esse ducimus, quod, quando aliqui *pacti naturam* uigent, cui non repugnet, eodem mutuo consensu, quo contrahitur matrimonium, illud etiam *dissolueri*, illi nostra quidem existimatione paralogismum committant, aut quid hoc medio termino velint, ipsi non satis pensitent. Si enim pactum coniugale huius solum tenoris esset, vt vir & mulier consentiant, se sibi mutuo corpus praebere, cohabitare alter alteri auxilio esse, & fidem illibatam seruare velle. *quandiu* isthaec coniunctio illis placeat; non negandum esset, hoc pactum mutuo dissensu solui iterum posse. Sed tale coniugium minus conueniens societati, minusque honestum

honestum aut licitum esse merito putatur, parumque aut nihil omnino differt a concubinato. Pactum ergo coniugale potius est: consensus viri & mulieris, quod honestè & ad scopum naturae rationalis cohabitare, fidem mutuam corpūsque sibi praebere velint *ad procreationem sobolis, cuiusque NB. sollicitam educationem.* Illud pactum, quin mutuo dissensu commode tolli possit, ipsius negotii natura vetat. Qui enim semel confenserunt in hoc, quod iuncta opera sobolem educare velint, non possunt sine scelere consentire in hoc, quod sobolis curam amplius non gerere, sed illam deferere velint. Vix enim brutum adeo ferox reperitur adeoque sineum in suos pullos, ut illos deserat, quoad sui sunt indigentes. In coniugio itaque non est vnica, aut vniformis relatio, sed è relatione, quae est *inter maritum & uxorem*, nascitur vtriusque relatio erga prolem susceptam, quae *paterna* dicitur, & *materna*. Illa licet tolli possit relatio, nequit tamen haec. Quin ergo pactum coniugale; praesertim si foecundum est matrimonium, ordinarie tolli ac dissolui possit, obstant certè ipsa, in quibus pactum coniugale versatur, essentialia; quasi ipso illo pacto cautum sit, ne vnquam in tota vita mutuo dissensu tollatur. (p) Oportet ergo, ut, qui contrarium statuunt, statum coniugalem latius non confiderent, quam qua actum animale dicit, solamque corporum coniunctionem inuoluit. Si autem maturius consideratur, qua actus & status est rationalis, iusto naturae fini adtemperatus, deprehenditur, naturam pacti communis in mutuo dissensu hic perperam vrgeri, siquidem pactum coniugale à quouis alio pacto variis nominibus differt, & singulare est existimandum. Tandem, *si liceret mutuo dissensu dissolvere matrimonium citra grauissimam causam, per eiusmodi diuortiorum licentiam non possent non & familiae, & publicus ciuitatum decor grauissime conuelli*, iudicante PVFENDORFFIO. (q) Quod itaque totius rei summa est, ex ipsa recta ratione concluditur, temerariam matrimonii dissolutionem iure naturali generatim illicitam haberi, (r) ad minimum tutius esse & è maiore societatis commodo, ut ab illa absteineatur, feliciter contra & honestius esse matrimonium

rimonium, quod ad dies vitae durat; ad optimum autem eligendum, nos plena obligatione teneri.

(l) Illas h. l. non disquirimus; notae sunt, quae ordinarie pro iustis habentur: *adulterium, malitiosa desertio, mores pessimi & incorrigibiles*; quibus alii addunt, *foedos omnino morbos, compertam impotentiam, insidias vitae coniugis fractas, venesicia &c.* Conf. III. I. H. BOEHMERI *dissert. de iure Princ. Euangel. circa diuortia*, & C. M. PFAFFII *dissert. de diuortii &c.* Illud obseruari metetur, quod olim inter ipsos Iudaeos de causis diuortii non eadem fuerit omnium sententia, id quod dissensus *scholae Schammaeanae & Hillelanae* probat, qua de re **LIGTFOOTVS**, **BVXTORFVS**, **SELDENVS**, aliique consulantur!

(m) Cum coniugium *pacti* species sit, contrahentes autem in illo, quod contrahunt, aequales sint, nec mariti praerogatiua obstat, quominus vxorem sibi aequalem agnoscat, vt iam supra obseruauimus; non videmus, si marito licet dimittere vxorem, quidni eodem iure liceat vxori dimittere maritum. (Qualis castus in matrimonio ad *morganaticam*, & si vxor optimus generisque nobilitate pollet, facile accidere possit.) Quod apud quasdam gentes vxores inferiore loco habitae fuerint, consuetudinis, non iuris in recta ratione fundati esse censemus. De coetero valet hic regula: *Quod quis iuris in alium statuit, id etiam in se agnoscere tenetur!*

(n) *I. N. & G. Lib. IV. cap. I. §. 20.*

(o) Comp. **CHRIST WOLFFIUM** *von dem Gesellschaftl. Leben der Menschen* cap. I. §. 43. 44. 45. vbi responderet ad casum: *si utraque pars in diuortium consenserit.*

(p) Exemplum in contrarium, sed rarius, quod aliquando in Gallia extitit, quod sc. *utraque pars per expressam pacti conditionem, in ipsis sponsalibus separationis libertatem sibi reseruauerit, e Valensianis* adlegat **CHRIST. THOMASIVS** in *Fund. I. N. & G. Lib. III. cap. 2. p. 253.* Idem vero eodem loco iudicat: *coniunctionem ad breuius tempus initam, vix mereri nomen coniugii, & esse signum animi voti, libidinosi & ad honestum amorem parum apti. Coniunctiones autem, quae ad diuturnius tempus, etsi non ad vitae dies, durant, non pro perfecti honestis & decoris haberi posse, vti coniunctiones indiuiduas.*

(q) *I. N. & G. Lib. VI. cap. I. §. 20. pag. 868.*

(r) **LAVRENT. REINHARDVS** in *Synops. Philos. Moral. pag. 132. §. II. Ius naturae, inquit, non videtur determinare, vt in perpetuum*

G

dures

duet matrimonium! ibid. tamen fatetur, tale matrimonium melius iuuare felicitatem generis humani. Quod §. 12. addit, conditionem supponit raro possibilem.

§. VIII.

Paucis tandem delibabimus quaestionem de gradibus quibusdam prohibitis, & videbimus, an ex recta ratione argumenta depromantur, quare non cum omnibus personis nuptiae licitae sint habendae. Fatendum est, prolixae disputationis materiam, eamque satis perplexam hinc occurrere (§). Resertis autem iis, quae scopum nostrum non proxime tangunt, id vnicum adferimus: quod recta ratio fundamenta suppeditet; vnde ad minimum colligi possit, (1) nuptias personarum in linea recta ascendente & descendente consanguinitatis incestus seu illicitas esse, (2) illicitas pariter esse, quae contrahantur a personis lineae collateralis aequalis in primo solum gradu, ut ab istiusmodi nuptiis tutius & rectius absteineatur. Quod enim spectat ad incestum in linea recta ascendente & descendente, laeditur per intimam corporum coniunctionem & respectus parentelae. Equidem sunt, qui obtendunt, quod quae parentibus debetur veneratio & obedientia, non tollatur necessario, sed maneat in ipso tali coniugio, quin, quod filia patri nupta è duplici vinculo, altero, quò filia est, altero, quò uxor est, obediens futur: sicut patri marito; quamobrem rixae & in re domestica confusiones verendae non sint &c. Facilius tamen haec dicuntur, quam probantur: Verendum potius, ne filia patri nupta reuerentiam plane seponat, & inuestigatiua (ut solent importunae mulierculae) dominatione molestissimum patri iugum imponere tentet, ad importunitatem pellecta opinione aequalitatis è reuerti corporum coniunctione; Verendum, ne filius matrem ducens, filialis reuerentiae oblitus, ut caput familiae societatisque domesticae insultet matri liberius. Quod si excipitur, filios emancipatos parentibus illam non amplius debere obedientiam reuerentiamque, emancipatos autem habendos esse, quando cum parentibus societatem coniugalem contrahunt; probandum est, reuerentiam filialem iure quodam expirare posse, cum enim fundamentum, ex quo illam filii parentibus debent,

debet, ad vitae dies duret, & relatio inter parentes, liberosque naturaliter tolli nequeat, sequitur, ipsam quoque reuerentiam tolli non posse. Nimirum, sanctus semper habitus fuit respectus erga parentes apud ipsos Ethnicos (t). Vnde non facile vnquam gens est reperta, quae, quam ferox moribus fuerit, hoc incesti genus non damnauerit, summisque poenis cautum inerit (u). A parte quoque patris cum filia carnaliter mixti, matrisque cum filio, documentum datur *ingentis lasciuiae atque proteruiuae*; quum enim non desint alii in vasta illa multitudine homines, quibuscum matrimonium inire possint, quare feruntur in hos, qui proprius sunt illorum sanguis? sanguinem autem cum proprio sanguine miscere, idem est, ac facinus in seipsum committere; vt, qui tantum non omnem conscientiae sensum amisit, *citra horrorem* tale quid audere non sustineat. Equidem cum LAMBERTO VELTHYSEN (v) hunc horrorem naturalem simul cum pudore naturali quidam negant & tantum non rident (w); sed prouti pudor & verecundia circa partes genitales statim post lapsum iam in protoplastis coepit Genes. III. 7. 10. 11. & apud omnes populos, etiam illos, qui ob feruidius, sub quo degunt, clima, nudo maximam partem corpore incedunt, satis deprehenditur; ita horror quidam conscientiae circa nefandos actus venereos, qualis est proprii sanguinis & feminis, cum proprio sanguine & semine commixtio, non est omnino confictus. Quandoquidem vero quisque scelestus, se istum pudorem horroremque sentire, non modo facile negare, sed etiam omnem verecundiam per contrariam, diuque consuetam proteruiam exuere potest (quemadmodum ipsum cordis de existentia Numinis sensum flagitiosi quidam & negant & supprimunt) valebit hoc argumentum solum apud illos, qui virtuti suum pretium statuunt & conscientiam illibatam seruare student, PV. FENDORFFIVS non dubitat, cum aliis è pudore naturali istiusmodi incestas nuptias reprobare, naturalis autem pudoris elegantem suggerit rationem, illumque haud esse figmentum satis ostendit (x). Tamen si autem istud argumentum, negare

quis velit, negare tamen non poterit, quod ipsa *annorum aetasque imparitas* connubia consanguineorum in linea adscendente & descendente inconsulta faciat. Pater namque filia pronectior est aetate, mater item filio: Sicuti ergo in se res est incongruens, senem ducere adolescentulam, anum duci à iuvene; ita incertum est, anne tale matrimonium sine suo frustretur, siue susceptionem, siue educationem potissimum proli respicias. Altera enim pars generare & coniugi debitum exsoluere paulatim desinit, quando altera vix iusto tempore coepit, vnde adulteriis patulae aperiuntur fores: Quamuis vero haec rei conditio fundamentum est, quare generatim aetate multum impares coniungi non debeant; speciatim tamen ad hoc etiam incestum coniugii genus quadrare apertum est. Accedit autem ratio, quae primo loco fortassis poni debebat, quare modo dicta matrimonia illicita iudicari debeant. Nimirum, quando pater filiam, avus neptem, filius matrem, nepos aviam &c. ducunt, per illa coniugia apertissime *confunduntur generationes, nomina, relationes & iura* individuorum, *integrarumque familiarum*, omnis denique ordo *consanguinitatis stirpiumque*; ut, quis pater sit, quis avus, quis filius, quis nepos, quis maritus, qui maiores, qui fratres, quae mater, quae vxor, quae soror &c. dignosci & certius sciri nequeat (y). Qualis confusio est inter canes & feles. Decebat autem humanam societatem a pecuina turba, humanosque mores a belluinis differre (z). Quantaene, praeterea *iurium confusiones* inextricabiles, quantane *dissidia* ratione successuum ab intestato ac in mille aliis casibus orirentur, si ita inter se commixti homines, implicitaeque illorum generationes forent. An peius, inque societas tem magis faeuens malum existeret posset, merito dubitamus.

(s) KVLPISTIVS, Colleg. Grot. p. 58. §. 7. Dari, ait, *gradus, iure naturali prohibitos, certum est, licet, quo fundamento eorum turpitudinis nitatur, aut, quinam speciatim illi sint, non tam expeditum est.*

(t) PLATO, Lib. II. de Legibus dixit; *Hominem in conspectu DEI non habere venerabilius simulacrum, quam patres, avos, matres, atque*

que his honoratis, DEVM gaudere. ARISTOTELES I. Top. cap. 9. docet; Non debere rationibus conuinci, sed poenis coercere illum, qui in dabium vocaret, an Diis debeat veneratio, & patientibus honor!

- (u) Qui in Africam iter fecerunt, de HOTTENTOTTIS (quam brutae autem gentes? quibus pleni atheismi notam, iniuste licet, inurere PETRVS BAEIVS, alique non dubitant) referunt, quod apud illos incestus in linea recta summis poenis capitalibus plectatur, sic vt illius criminis rei comperti singulis membris dissectis, morti tradantur.
- (v) in Dissere. epistol. de Principiis iusti & decori. it. in Tract. morali de naturali pudore & dignitate hominis.
- (w) Quos inter notandus est ANDR. HOYERVS, loco, *supra* cit.
- (x) I. N. & G. Lib. VI. cap. I. ita scribit: Deinde, quia affectibus per lapsum corruptis, prava libido per eas partes, magno velut cum impetu erumpere ardet; & vero cardo quasi omnis decori ordinis in societate humana in hoc vertitur, vt propagatio sobolis sanctis legibus circumferibatur; igitur dignitati suae conseruandae, simulque praescindendis illicitae aut inuemptiuae ueneris occasionibus standens natura istum pudorem commenta est, quo & sollicitè ista membra regantur, ne oculis semper exposta irritarent libidinem, quouis tempore paratam, & eo magis uenere illicita abstineret, quod & legitimam non, nisi recte & remotis arbitris obire, pudoris teneritas subigeret. Paulo post addit: Ille pudor insigniter intenditur aduersus illas personas, quibus naturam quandam reuerentiam debemus, aut aduersus quas grauitatem quandam prae nobis ferre debemus, quales praecipue sunt parentes & liberi. Ita, vt qui per eundem non reprimatur, quo minus in familiarem istam corporum admixtionem descendere non uereatur, effroni prorsus ingenio, & qui nullum aliud facinus sit formidaturus, iudicetur, laboretque maximo inter homines morbo, impudentia. Hic igitur pudor non extrema causa uidetur, quare ipso iure naturae inter ascendentes & descendentes in recta linea, conubia censantur prohibita; praesertim cum nullus unquam casus extiterit, nec probabiliter existere possit, vt seruando generi humano eorum admittendorum necessitas foret &c.
- (y) Notum est vetus epitaphium, cuius etiam in eadem hac materia PVFENDORFFIVS l. c. p. 892. simul cum aliis huius generis poetarum lusibus meminit:

G 3

Herbst

*Herfilius hic iaceo , mecum Marulla quiescit,
Quae soror & generix, quae mihi sponsa fuit,
Vera negas, frontemque trabis, aenigmata Spbingis
Esse credis? sunt Pyrbio vera magis tripodae.
Me pater e nata genuit, mihi iungitur illa.
Sic soror & conjux, sic fuit illa parens!*

Eiusdem est tenoris, quod nonnemo amicus noster, Lubecae vidit in tab. aenea vetusta, multa arte pictum. Illa nimirum exhibuit duas mulieres, quarum quaeque lactaret filiolum, simul duos monachos, istas sic alloquentes:

Goeden Dag ji beyden Vrouwen tofahmen,
Berichtet uns doch, wein düsse Kinder tofahmen?
quibus illae respondent:

*Wy sünd tho düssen Kindern Moeder,
See sünd ock unse Mannes Brüder,
Dat eene Kind is des andern syn Dhm,
Wente wy sünd dar ock Groot-Moeder tho!*

Hoc ita exponendum est, quod duae sorores quaeque a proprio filio monacho impraegnatae, pepererint quaeque ex filio filium. Ita mulieres filiolorum ex incestu natorum & matres & aviae, patrum autem & matres & uxores, filii quoque patrum suorum & fratres & filii, inter se vero consanguinei fuerunt. Facinus istud dubio procul aliquando vere patrum, posteritati per hanc picturam traditum fuit.

(2) Pecuniam esse illam commixtionem, expressit dudum OVIDIUS Lib. 7. *Metamorph.* canens:

- - - Cum matre Menephron
Concubiturus erat, saecularum more ferarum!

§. IX.

Quod alterum quaestionis membrum concernit, scilicet: *De incestu in linea collateralis aequali, primi gradus*, pariter non desunt rationi sibi relictae momenta, quorum iusta pensitatione judicari possit: coniugia inter fratres & sorores deuitanda esse. *Primo enim naturae* illud habendum est, quod communiter fratres & sorores se non soleant ita adpetere, sibi que ad contrahendum matrimonium placere, quin potius placeant subiecta

subiecta alius familiae & foris nata, licet illa haut raro & pulcritudine & virtutibus, aliisque quae ad amorem pellicere solent qualitatibus, fratri germano aut forori germanae multum cedant. (a) Tacemus, quod forem eligere uxorem, communiter nulla urgeat necessitas, cum in tanta mulierum multitudine sufficiens detur ducendarum electus; adeo, ut lascivia & furor quidam venereus huius incesti causa, plerumque haberi possit. *Secundo* certum est, quia fratres & sorores unà educantur, liberiusque à teneris inuicem conuersantur, quod, si illis spes esset, legitimi licitque aliquando coniugii, irritatio inter illos ad lasciviam libidinososque congressus foret assidua. Vix ergo in ulla societate maior stuprorum foret occasio, vix maior ad libidines mutuas audacia, maiusque temerandae castitatis periculum, quam inter fratres & sorores. Nec pater familias de virginitate filiarum suarum illibata, deque honore domus suae per unicum diem securus esse posset. Cui malo pessulum potius obdere, quam illi occasionem subministrare, recta ratio dicitur, simulque ab istiusmodi coniugiis abstinendum esse iudicat. Unde etiam, quamvis aliquarum gentium consuetudine talia coniugia licita habita fuerint, apud longe plures tamen gentes turpitudinis notam habuerunt. *Tertio*, ista inter fratres & sorores coniugia socialitati re vera contrariantur; non enim tam late spargerentur amicitiae, nec tot coniungerentur adfinitatis vinculo familiae, id quod tamen ad incrementum ac robur ciuitatis non parum confert. (b) *Denique* negandum non est, quod per haec etiam connubia *relationes, nomina & status confundantur*. Filii enim ex illis prognati genitorem suum & patrem & avunculum, geneticem & matrem & amitam, se inuicem & fratres & matris ex fratre nepotes adpellare possunt, quae res non solum saniori ordini repugnat, verum etiam litibus difficulter dirimendis ansam aliquando praebet. Restant sane *plura incommoda*, quae licet non absolute per id coniugii genus effici videantur, solent tamen illud comitari, aut, ne eueniant, vevenda sunt. Ut ergo dubium non sit, quin è *magis tuto, commodo*

modo & probabili agat, qui istis coniugis temperat, quam qui
 citra grauissimas causas illa contrahit.

- (a) Experientia, optima rerum magistra illud satis docet; quae
 etiam confirmat, quod de *verecundia* communiter reperitur
 da inter fratres & sorores, si frontis sunt tenerioris, ut ne
 quidem lubenter simul interfint consortiis, in quibus blandi-
 menta amatorum vel admittere vel deferre contingit, ele-
 ganter obseruatum est PVFENDORFFIO l. c. *Lib. VI. cap. 1.*
 §. 34.
- (b) Respicit huc CICERO, de officiis, *Lib. I. cap. 17* p. m. 48. *Arctior,*
 inquit, colligatio est societas propinquorum: ab illa enim immensa so-
 cietate humani generis, in exiguum, angustumque concluditur. --
 Prima societas est in ipso coniugio: proxima in liberis; deinde una
 domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, &
 quasi seminarium reipublicae. Sequuntur fratrum coniunctiones,
 post consobrinorum, sobrinorumque: qui cum una domo iam capi
 non possunt, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequun-
 tur connubia & affinitates; ex quibus etiam plures propinqui;
 quae propagatio & soboles, origo est rerumpublicarum. Sanguinis
 autem coniunctio & beneuolentia deuincit caritate homines &c.

§. X.

An ad plures gradus procedi, & quod iure naturali
 prohibiti sint, satis probari queat, ambigimus, probationem
 saltem non suscipimus. Equidem credimus, lumen naturae
 lucidius futurum fuisse in statu innocentiae; sed cum illud
 iam, quid fas sit, quid nefas, quid conducatur, quid non, ma-
 ximam partem non nisi ex euentu actionum, siue necessario;
 siue verosimili, influxu quoque in felicitatem aut infelicitatem,
 commodum aut incommodum humanae societatis con-
 cludat; debile rationis lumen facile fit erraticum & in quan-
 dam incertitudinis caliginem soluitur. Quod hactenus edif-
 feruimus, nouum aut nimium censeretur non poterit, nisi forte
 illis, quibus adhuc magis placent de *legibus positivis vniuersalibus*
 traditiones. Facile vero largimur, 1) quod non omnes nobis-
 cum sentientes, iisdem semper vtantur rationibus. III. THO-
 MASIVS e.g. supra dictas nuptias incestas reiecit, quod pugnet
 cum *bonesto & decore naturali.* (c) WALCHIVS, quod pugnent
 mit

mit den Pflichten der Bequemlichkeit. (d) KVLPIVIVS, quod pugnent cum pudore naturali. (e) BVVDEVS, quod pugnent cum instituti diuini (scilicet coniugii) scopo & indole. (f) Alii, aliter procedunt. Largimur 2) quod plerique determinare non audeant, quousque extendenda sit in I. N. graduum prohibitio. Quidam enim non nisi incestum in linea recta consanguinitatis ascendente & descendente, alii in eadem quoque adfinitatis, alii incestum etiam in linea collateralis tam aequali, quam inaequali, inque hac, ubi personae patris vel matris loco habendae sunt, damnant. Arbitrium relinquimus cuique suum, nec dubitamus, quin ultra istos gradus, de quibus nos egimus, alii quoque, si ex omni parte, relatione, omnibusque circumstantiis sedulo examinantur, talia passim momenta prodant, unde recta ratio, quod iis incommodum adhaereat, quodque societati noceant, haut difficulter iudicare possit. Attendi certe meretur, quod plerique gradus reuelata lege diuina prohibiti, etiam apud plerasque moratioris gentes prohibiti, & nuptiae inter istorum graduum personas contractae turpes passim habitae fuerint. Sic QVIN-CTILIANVS (g) nouum, ait, inauditum antea crimen: nouerca nimirum dicitur amare prunigenam? Quod cum consentit illud Apostoli, (h) Auditur inter vos scortatio, talis quidem, qualis neque inter gentes nominatur: ut uxorem aliquis patris habeat. Hippolitus sollicitatus a Phaedra nouerca, ad illicitos congressus, respondet (i):

Dignus an stupris ego?

Scelerique tanto visus ego solus sibi

Materia facilis? Hoc meus meruit vigor?

O scelere vincens omne foemineum genus!

Attendi meretur, quod nuptiae incestae varii generis prohibitae sint ab Imperatore ethnico DIOCLETIANO (k) ut vetustiores leges taceamus. Non absone inde concluditur, omnis aevi cultioribus populis obseruatum fuisse, quod istis nuptiis vitium aut incommodum adhaereat, quare satius duxerint, illas prohibere quam permittere in ciuitate (l). Id dolendum est, quod sufficientes causas, quare non permittendas duxerint,

H

riat,

rint, nusquam expresserint. Quae res GROTIUM sine dubio mouit, ut pudorem naturalem, & fugam incestorum generatim, non tam euidenti rationis collectioni, quam perpetuae traditioni adscripserit (m). Aliorum ergo maturioribus meditationibus istam rem relinquimus.

- (c) In *Fundament. I. N. & G. Lib. III. cap. 2. §. 6. & 38.*
 (d) In *Lexico Philos. voce: Blutschande. ix. Einleit. in die Philos. Lib. II. cap. 6. §. 88.*
 (e) In *Colleg. Grot. p. 58. §. 7. not. 2.* Vbi quoque opinatur: dari in moralibus principia indemonstrabilia, quorum veritas absque vlla ratiocinatione intellectui recte conformato se inclinuet: Tale esse hoc: à nuptiis parentum ac liberorum abstinentum est.
 (f) In *Instit. Theol. Moral. P. II. cap. 3. Sect. 6. §. 11. fgg.* Vbi speciale fundamentum ponit in proximitate sanguinis, docetque, coniugii institutum requirere, ut diuersa sit cura, quae deinceps per matrimonium fieri debeat una.
 (g) *Declamat. 327.*
 (h) *I. Cor. V. 1.*
 (i) Vt est apud SENECAM in *Tragedia istius nominis Act. 2. scen. 2.*
 (k) In *d. I. Nemini. C. de Nupt. Nemini licet contrahere matrimonium cum filia, nepte vel pronepte; itemque cum matre, auia vel proavia, & ex latere auia, ac matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte, itemque ex affinibus, prinigna, nuerca, nuru, sacru, coeterisque, quae iure antiquo prohibentur, à quibus cunctos volumus se abstinere.*
 (l) ANDR. HOIERVS, quamuis horum graduum nullum aliquo iure diuino vetitum esse putat, *l. c. cap. 7. §. 8.* tamen non dissimulat: quod è prudentia sit, ciuilibus legibus vetare tales nuptias. Si autem hoc concedit, eruat necessario incommoda, ob quae societati illae nuptiae non conducant. Cum autem ratio illa deprehendit, apertum est, rationem quoque praecipere, ut illae nuptiae vitentur, quia vitandum esse dicitur id, quod infelicitatem, aut incommodum humanae societati creat. Generalis enim LL. ciuiliu fons & norma est ius naturale seu rationis.
 (m) *De Verit. Relig. Christi. Lib. I. §. 9. pag. 11. edit. Oxon.*

§. XI.

Quamuis in praecedentibus pro ratione spatii scopique nostri nonnihil probauimus, rectam rationem inquirete in Polygamiam, Conscubinatum, Diuortium, & quosdam gradus prohibitos, deque iis iudicare, quod non conducant societati humanae, ut potius

potius isti actus iure naturae generatim prohibiti esse colligantur; tamen dilin ulandum non est, quod pro circumstantiarum aliquando diversitate, variae exceptiones, obiectioes, casus singulares, & ex his oriunda passim dubia in illis materiis locum habeant. *Polygamiam* e. g. non in omni casu ratio simpliciter damnat. Quod si enim vir, qui morosam, aut affiduo aegrotantem habet vxorem, quam vero citra apertissimum suum, familiaeque datum aut pacis in societateurbationem dimittere nequit, ob incontinentiam hauri reprimendam, aliam adseiscit, praesertim si degit in tali societate quae sua bigamia non valde laeditur, & si novit, se alendis duabus vxoribus sufficere; tunc certe, quicni id facere debeat, determinare, diffisillum erit. Pari modo, si vir cum duabus mulieribus è naufragio solus euserit, adpulsus cum iis ad insulam incolis profus orbam, matrimonio, vtramque duxerit, hoc quidem sine, vt genus suum quantocys multiplicet, ne morientibus duobus huius societatis membris, vltimum maneat in horridi solitudine supertes. In quo casu, cum extra civitatem in statu naturali personae viuerent, multae rationes extirarent, quae in ciuitate degentibus attendendae essent. Quid quoque Principi circa polygamiam liceat, si non mera libidine, sed fonticis causis ducitur, anceps est ex l. N. iudicium, quum ille & alere plures vxores liberosque, & hos educare, illarum quoque rixis ansam praeripere possit, nec eius exemplum ciuibus statim eandem libertatem indulgeat. Nec minus *Concubinatus* admittit casus & circumstantias, quae exceptionem à regula postulare videntur. Possunt enim maiores aliquando ad illum admittendum, quam omittendum causae existere, praesertim si inde non magna incommoda redundant. Etenim si contingeret, vt aliquis necessitate (quae varia esse potest) ad actus per diuturnum tempus peregre viueret, relicta domi pariter ex necessitate vxore, continere autem interea non varet, quid vetaret in isto necessitatis casu, remedium quaerere in concubinatu, praesertim si generandae prolis intentio conederetur, cum cura quam posset optime illa geri, pro eiusdem

educatione. De *Ethnico*, qui nuda ratione regitur, non de homine christiano, loquimur. Id certum est, de istiusmodi, casibus non, nisi ponderatis omnibus rei circumstantiis (n), nec melius, quam ab ipso subiecto iudicatur. Ipsum enim agentem in conscientia certum esse oportet, se non voluptati inservire, nec occasionem concubinatus declinare, vel incontinentiam reprimere potuisse. Secus enim, si à quovis oestro venereo superari nefas non esset, quis omnibus in summo aestu iuvenili constitutis, cum imbecillitas animi isti aetati adhaereat, concubinam alere, vitio verteret. Quid autem de infinitis concubinariis tandem fieret in republica. De *Diortio* quid specialiter moneri debeat, haud adparet. *Nuptiae incestae* vero admittunt dubios casus; e. g. si frater & soror casu in solitudinem quandam essent redacti, ubi nulla alia sperari posset humana societas, & frater solitudinis horrore, indeque enata se multiplicandi necessitate, motus duceret sororem consentientem; actio rationi sibi relictae eò minus mala videri posset, quo minus illa incommoda has nuptias comitari deprehenduntur, quae illas in casu quidem ordinario & in civitate comitantur. Necessitas quoque, legem non habere in illo casu, non male dicitur.

(n) Bene monente THOMASIO I. c. *Lib. III. cap. 2. §. 19.*

§. XII.

Concludimus ergo, quod *interdictum de Polygamia, diortio, concubinato, & contrahendis inter quasdam personas nuptiis incestis iuris quidem naturalis sit, sed quod ad LL. naturales fundamentales, absolutas, quae primum evidentiae & obligationis gradum sustinent, non pertineat; sed quod rectè ut referatur ad LL. naturae minus fundamentales, harumque arbitrarias, quae minore evidentiae & obligationis gradum sunt praeditae (o). Licet vero circa has leges summi Legislatoris dispensatio aliquando locum habeat (p), veram tamen obligationem naturalem omnibus iis inducant, quibus & rationis scrutinium, & legum harum notitia tantum non sunt praeclusa. Nec enim obstat si quis causetur, quod ob debilem evidentiae gradum, indoles legis hic non liquido adpareat, sed*

suasus

suasus solum rationis esse videatur. Nemo enim rectam rationem negligere, illius suasus susque deque habere, inconsultam rationem in actionibus suis mera lubricitate ductus, procedere potest impunè. Si quis autem vel sit istius mentis *hebetudinis* naturaliter, ut quid sibi liceat & conducat, quid non, cognoscere plane non possit, vel istam rerum suarum conditionem inueniat, quâ, quod ratio in casu ordinario & generatim dicitur, oppositis iam maioribus argumentis, ad se hoc statu non pertinere, concludere possit (q), aut nullum ex actione damnum incommodumque sibi societati que metuendum habeat: Tunc illi subiecto, sicut euidencia est dubia, aut nulla, ita pariter obligatio erit dubia aut nulla. Cessantibus enim motibus, in ipsa actione radicatis, voluntatem ad agendum vel non agendum inclinantibus, (ceu supra explicauimus) cessat ipsa ad agendum vel non agendum obligatio naturalis in conscientia. Vnde saepe laudatus DN. WALCHIVS (r) de *incusu* agens nach den Pflichten der Bequemlichkeit ait: Wo aber dergleichen Beschwerlichkeiten vor eine Gesellschaft nicht zu bejorgen, da urtheilet die Vernunft, es wären solche Ehen (addimus ex mente eius: Solche Dinge oder Unternehmungen) erlaubt.

(o) Conf. huius Sect. II. §. 3. & Sect. I. Artic. I. §. 9. 10.

(p) Quorundam exempla V. T. quoad materias hæc Sect. II. tractatas, per multi doctissimi Viri referunt, e quibus solum WERNSDORFFIVM, magni nominis Theologum nominasse hic sufficiat. vid. ejus *Dissert. Summa sanæ doctrinae de Polygamia. Thesis V.* Vbi futius probat *DEVM* vere dispensasse &c.

(q) Quale quid non raro occurrit in collisione legum & perfectorum officiorum, ad quae plena & aperta est obligatio; potius ergo in certis actionibus casibusque singularibus, vbi non solum apertus non est cum natura nexus, sed etiam minima circumstantia rem variat, aut in quibus fauor est necessitatis.

(r) Einleit. in die *Philos.* Lib. II. cap. 6. p. 564.

§. XIII.

Hæc sunt, B. L. quae de *diuerso gradu euidenciae & obligationis legum naturalium* meditati sumus. Potuissimus, si spatium permisisset, nostrae theoriae veritatem variarum actionum

H;

quoti

quotidie occurrentium examine illustrare; verum sufficiant hac vice, quae *ScH. II.* loco adplicationis consulto tractauimus. Meditationes sunt, quas nolumus obtrudere aliis, quibus forte non placebunt magnopere. Nec ferimus moleste, si quis à nobis dissentiat. Est enim iuris naturalis prudentia ex illo studiorum genere, quod diuersos conceptus, variasque considerandi methodos admittit, quod item non facile exhauritur, vt potius, quod addendum sit, remaneat semper aliquid. Oculi plus vident, quam oculus. Noua vel insolita nec volumus scribere, nec scripsimus, cum ad doctorum virorum consensum subinde potuimus nos recipere. Si cui insolita videbuntur, ex illo conceptu erit, quem sibi de I. N. forte is formauit, à quo differt noster. Ceterum negandum non est, dari passim tales, penes quos de I. N. & legibus naturalibus certa regnant praecudicia in re minus fundata, qui genesin legum naturalium ipsi non scrutantur, quique supponunt veritates, quas nondum satis explorauerunt, alienae auctoritatis nimis faciles sectatores. Putamus ad veritatis amissum nostra cogitata exegisse, ad rationis trutinam expendisse. Sicubi forte speciosa, vt facile fieri potuit, se nobis exhibuerunt vt vera; qualem-
cunque admissum errorem in posterum cordate corrigere, rectoraque amplecti, amice quidem admoniti, haut umquam grauabimur.

FINIS.



NOBILISSIMO ATQVE CLARE DOCTO
DOMINO RESPONDENTI

FAVTORI & AMICO SVO HONORATISSIMO

S. & O.

PRAESES.

CONfluunt in Te exornando, Politissime
SPARMANNE! DEVS omnis boni auctor,
optimi PARENTIS sobria educatio, Doctorum
academicorum fida manu ductio, propriaque
industria, quam sedula auscultatione, cupida
lectione, matura meditatione adhibuisti. DE-
VS & natura eximias in Te ingenii dotes col-
locarunt, has excitavit cumque morum ele-
gantia iunxit sollicita educatio, ampliauit
fidorum praeceptorum locuples institutio, ex-
poliuit denique & in dies magis expoliet pro-
prium indefessi conaminis studium. Resul-
tat inde nobilissima animi indoles, solida
doctrina, & aptitudo ad res in republica ali-
quando feliciter gerendas. Non es ex illorum
numero, qui multum discunt, parum sciunt,
aut qui, quem intus reconditum gestant do-
ctrinae thesaurum prodere re & ore nesciunt

ex



ex parte Mercurii, ex parte stipites; vel qui, beatae quamvis sint memoriae, expectant tamen iudicium. Tam enim polles iudicio quam prompto ingenio, tenacique memoria. Facundo etiam ore, quae didicisti, vales proferre non vaniloquus, sed disertus, loqueris, ut Te videant. Quod rei caput est, non alienis vides, sed propriis oculis, non consuetus in magistri verba iurare, quum, quisquis Tibi sit amicus, magis tamen sit amica veritas. Cuncta ista demonstras hodierno fausto certamine sub plausibus omnium. Gratulor Tibi susceptam beneque ornatam spartam. Gratulor venerabili Dn. PARENTI Tuo filium optimae frugis, maximae spei, ingentis solaminis. Perge istis quidem honestis conatibus, grassare ad culmen virtutis, & continges olim culmen honoris; illius etenim hic comes esse solet individuus. Illo tramite incedens DEO cunctisque bonis gratus, Tibi felix, orbi decus & reipublicae proficius eris. Id faxit fons sapientiae
DEVS! Vale!

Deproperabam è mus. d. XVII. Octobr. Anno MDCCXXXIII.



Rostock, Diss., 1733-35

ULB Halle

007 790 481


3



W17 W18 W20







B.I.G.

Farbkarte #13

Vol. 3 N. 17

Q. D. B. V.
MEDITATIO PHILOSOPHICA,
DE
DIVERSO GRADU
EVIDENTIAE
ET

OBLIGATIONIS LEGVM
NATVRALIVM,

QVAM
DEO FORTVNANTE,
IN ACADEMIA VARNIACA,
HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

D. Octobris A. MDCCLXXXIII.

PRAESIDE

M. IOANNE HENRICO

BECKER,

PHILOS. PRACT. PROF. P. O. ET AD AEDEM
D. NICOLAI ECCLESIASTE.

amicae disquisitioni subiciet

IOA. GOTTHILFF SPARMANN,

Buchholtza - Megapolitanus,
Phil. & V. I. Cultor.

ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SERENISS. PRINC. & ACAD.

Typographi.

